
1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE GALLIS

QUI SÆCULO XIII° A PARTIBUS TRANSMARINIS

IN APULIAM SE CONTULERUNT

« L'histoire de l'Orient latin, qui est comme le cœur de l'histoire générale du Moyen-Age, et qui est liée si intimement à l'histoire de l'Italie... »

(Comte RIANT, *Etudes sur l'histoire de l'église de Bethléem, I, p. 108*).

DE GALLIS

QUI SÆCULO XIII° A PARTIBUS TRANSMARINIS

IN APULIAM SE CONTULERUNT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

EMILE BERTAUX

GALLICÆ IN URBE SCHOLÆ OLIM SOCIUS

LUTETIÆ PARISIORUM

SOCIÉTÉ NOUVELLE DE LIBRAIRIE ET D'ÉDITION

17, RUE CUJAS

—

MCMI

CAROLO MICHAELI DIEHL

DE STUDIIS ITALICIS

SIMUL ATQUE ORIENTALIBUS

OPTIME MERITO

AMICUS

D. D. D.

DE GALLIS

QUI SÆCULO XIII° A PARTIBUS TRANSMARINIS

IN APULIAM SE CONTULERUNT

CAP. I.

DE NUPTIIS FRIDERICI AUGUSTI ATQUE DE MILITIBUS QUI ISABELLAM REGINAM IN APULIAM COMITATI SUNT, ET IN IMPERATORIS AULA GAVIANO, CYPRENSI MILITI, OBVIAM FACTI SUNT.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, ante diem octavum Idus Julias, classis viginti galearum Limassol portum, in insula Cypro, quem paucos dies tenuerat, reliquit, Italiam petens[1]; qua ad Fridericum secundum, Romanorum imperatorem et Siciliæ regem, vehebatur sponsa, Isabella de Brienne, annis quatuordecim non major, et in urbe Tyro Hierosolymitani regni corona modo donata[2]. Hanc in Apulia exspectabat Johannes pater, qui, cum reginæ puellæ tutorem ageret, regium nomen ipse sibi retinuerat. Magnus autem cœtus clericorum

1. Amadi, Ed. R. de Mas-Latrie ; Paris, 1891, p. 117.

2. L. de Mas-Latrie ; *Histoire de l'île de Chypre*, Paris, 1861, i, p. 218-219. Huillard-Bréholles, *Historia diplomatica Friderici II*, Paris, 1859, Introduction, p. cccxxvii. « Le rei dou roiaume de Jerusalem ne tient son roiaume que de Dieu, et il doit estre coronés en Jerusalem, se elle est en mains de crestiens ; et quand elle ne l'est, si doit estre coronés à Sur ». (*Assises de Jérusalem*, Ed. Beugnot, i, p. 29).

et militum, nobilissimis Orientis Latini gentibus natorum, Isabellam comitabatur.

Nemo nescit imperiales nuptias ante diem quintum Idus Novembres in ecclesia cathedrali urbis Brundisinæ celebratas esse, atque in hoc eodem die Fridericum, sponsæ suæ patre aperte contempto, Hierosolymitani regni coronam et sigillum sine mora usurpavisse.

Quo facto, dum senex ad Barolum cum paucis fidelibus confugit, nobiles viri, qui e Syria cum classe venerant, Siculæ aulæ magnificentia et ipsius domini potestate capti, partes Romanorum imperatoris, qui orientalia regna sibi tam audacter vindicare videbatur, statim secuti sunt. Quin proceres clericorum et militum, Johannis regis jam obliti, non solum in Apulia nonnullos menses lauto hospitio frui, sed etiam primis chartis a novo Siciliæ et Hierusalem rege publice editis ipsi interesse non recusaverunt. Duobus enim privilegiis Ordini Sanctæ Mariæ Theutonicorum anno MCCXXVI°, mense Januario, a Friderico et Isabella concessis [1], nomina illorum suscripta leguntur, scilicet : Jacobus de Vitriaco, Acconis episcopus, idem qui de historia Hierosolymitana librum non ignobilem scripsit [2]; Balianus, dominus Sydonis, Daniel de Terramunde, Nicolaus Antelmi [3], Guido de Infante [4], Guido de Roniau [5], Ger-

1. Chartæ illæ ambo, sub sigillo Symonis, Tyrensis archiepiscopi et Hierosolymitani regni cancellarii, editæ, nullo loci nomine addito, leguntur apud Huillard-Bréholles, *Historia diplomatica*, II, pars 1, p. 531-532.

2. G. Rey, *Les Fàmilles d'Outremer de Ducange*, Paris, 1869, p. 170-171.

3. *Nicolle Anteaume*. (Ducange, p. 500. Cf. *Les Lignages d'Outremer*, Ed. Beugnot, apud *Historiens occidentaux des croisades*; Lois, II, p.).

4. *Gui l'Enfant*; qui a Johanne de Brienne delectus erat ut Tyri, die festo quo Isabellæ corona accipienda esset, solennia componeret. (*L'Estoire de Eracles, empereur*; Hist. Occid. des Crois., II, p. 357)

5. Acconis dominus, qui anno MCCLV° jam mortuus erat (Röhricht, *Regesta Regni Hierosolymitani*, 1893, p. 323, n° 1228).

vasius de Malgastel[1], Philippus Cynardi, Gofridus de Viliers, atque tres alii, quos amittere liceat. Uno autem Danielis de Terramunde nomine excepto, qui e Flandriæ partibus ortus erat, nomina illorum qui in Italicis oris Hierosolymitani regni testes exstiterunt, si modo vulgari eloquio ea transcripseris, Gallicum cuncta sonant. Tunc enim Germanicus imperator, cum, Henrici patris magna consilia fortuna magis prospera secutus, ad Orientis partes mentem intendebat, ubique, cum in regia urbe Constantinopoli, tum in sacra urbe Hierusalem, quasi fixam et fundatam cernebat alteram illam Galliam, a papa Honorio tertio decantatam, in litteris ad Blancam reginam, Ludovici octavi, Gallorum regis, uxorem missis : « Novit regia celsitudo, scribebat pontifex, qualiter Dominus, in cujus manu sunt potestates et omnia jura regnorum, in Gallicorum manibus tradidit Imperium Romaniæ, quod per eosdem est quasi principaliter hactenus gubernatum, ibique noviter quasi *nova Francia* est creata[2]. »

Galli autem in Italiam e Syria deducti invenerunt in imperatoris aula juvenem quemdam, nomine Gavianum de Chenechy[3], cujus gens e Campania, Galliæ provincia, videtur esse orta[4]. Ille jam in Cypro adulescentiam egerat, cum in disceptationem venit cum Philippo de Ibelino, oppidi Beirut domino, qui regno, juvenis Henrici de Lusignano nomine, præerat. Sed inito, more

1. Qui anno MCCXLV° Acconis vicecomes nominatur (PAOLI, *Codice diplomatico del sacro militare ordine Gerosolimitano*, Lucca, 1733, I, p. 258, n° 217. *Les Familles d'Outremer*, p. 547).

2. RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, I, p. 536. Anno MCCXXIV°, mense Maio.

3. De Gaviani nomine, Cf. *L'Estoire d'Eracles*, lib. XXXIII, cap. III, 368. Gavianus Hermelinam de Soissons sponsam duxerat (*Les* *amilles d'Outremer*, p. 607).

4. *Chennegy* locus haud procul ab urbe *Troyes* exstat.

feudali, juridico certamine, militaris ordinis jura a domino suo violata esse Gavianus contendit[1]; itaque Acconem petivit et inde Apuliam versus vela dedit. Ibi Friderici imperatoris gratiam mox captavit, cum humanitate et comitate, ut Gallorum erat, tum maxime venatoriæ artis peritia, in qua Fridericus ipse eruditum se profitebatur[2]. In Italia autem non peregrinus et hospes, sed proximus Sacri Romani Imperii vassalis habebatur Gavianus. Non enim obliviscendum est anno MXCXVII° Amalricum de Lusignano Henrico imperatori homagium solvisse, quippe cum ab eo precibus obtinuisset ut Cypri dominium regnum fieret[3]. Gavianus igitur noster, dum Fridericum sequitur, regis sui domino servit[4], nec mirandum videbitur si in priore charta de laudatis privilegiis anno MCCXXVI° edita, nomen militis Cyprensis non legitur inter nomina illorum qui Hierosolymitani regni in Apulia vices sustinebant, sed post nomina Germanorum qui Sacri Romani Imperii testes se ferebant[5].

Hac autem gratia, qua apud Fridericum floruit ille gentis de Ibelino capitalis inimicus, manifestum fit quomodo imperator noverit insidias in Cypro adversus regis juvenis tutorem occulte compositas, et quomodo

1. Omnia hæc satis confuse narrata sunt a Philippo de Novare in libello qui inscribitur *les Gestes des Chyprois* (Ed. Gaston Raynaud, Genève, 1887, p. 34).

2. Librum de re venatoria imperatorem ipsum conscripsisse notum est, cujus præclarum exemplar, variis et pulcherrimis picturis distinctum, in Vaticana Bibliotheca servatur (*Vat. Pal.* 1071).

3. MAS-LATRIE, *Hist. de Chypre*, I, p. 128-130. HUILLARD-BRÉHOLLES, *Introduction*, p. CCCXXXIII.

4. « Et servy l'empereor un tems » (*Les Gestes des Chyprois*, p. 34).

5. « Hujus autem rei testes sunt : *De Imperio*, Rainaldus, dux Spoleti, Bertoldus frater ejus, Gottifredus de Hunloch, Albertus et Conradus de Stouphe *et Gavianus de Cipro*. De Regno *vero* Hierosolimitano, Jacobus, venerabilis Acconis episcopus, etc... » (HUILLARD-BRÉHOLLES, II, pars 1°, p. 536).

consilium inierit, domino Philippo detruso, insulæ suum imperium indicendi. Ipse etiam, juris, quod post Henrici sexti mortem in Lusignanorum regno imperatores servaverant, haud immemor, ægre satis tulit quod domini de Ibelino juveni regi coronam imponere properaverant, imperatoris ne petito quidem assensu [1].

Illo tempore Fridericus, quem summus pontifex vituperationibus et minis, ob promissa nondum exsoluta, acriter insequebatur, tandem animum induxit ut bellum in Terram Sanctam portaret. Dum Brundisium conveniunt copiæ, non ultra Hydruntum in hac simulata expeditione provehendæ, Gavianus rursus ad Cyprum profectus erat [2], ut nobilium virorum consensiones adversus gentem de Ibelino machinaretur. Consenserunt autem cum illo Guillelmus de Rivet, nepos ejus [3], Hugo de Gibelet, qui dominis de Ibelino sanguine conjunctus erat [4], Amalricus de Bethsan, e nobili gente de Bethune, atque Americus Barlais, qui inter juvenes illos animo promptissimus erat et potestatis cupidissimus [5]. Hic, non secus ac Gavianus, Cyprum linquere coactus, quod quemdam Philippi de Ibelino amicum in insidiis semivivum reliquerat, in Tripolim, Syriæ urbem, confugerat, ubi Alix de Campania, senioris reginæ Cypri, inquietum animum turbavit et ab illa impetravit ut, Philippo de Ibelino tutoris regii munere destituto, summa rerum sibi committeretur. Sed juveni majora

1. Mas-Latrie, p. 228.

2. Amadi, p. 122.

3. Isabella de Soissons, Jacobi de Rivet uxor et Guillelmi mater soror erat Hermellinæ illius, quam duxit Gavianus de Chenechy. (*Les Familles d'Outremer*, p. 594).

Les Gestes, p. 31.

« Ceaus V s'accorderent et jurerent encontre le lignage de [illegible]lin ». (Ibid.)

semper capessenti plerique Cyprensium militum proceres adversati sunt et, interempto forte Philippo, Johanni, ejus fratri, bajulationis, ut dicebatur, officium transmiserunt. Inde bello aperto inter Americum et totam de Ibelino gentem, quinque juvenes qui inter se consenserant nuntios ad Romanorum imperatorem crebro miserunt[1], ut arma externa in medias res adeo turbatas inferret.

1. « Si manderent mout plaignant à l'empereor dou lignage de Ybelin, disant mout de maus et de mensonge sur eaus ». *(Les Gestes*, p. 37).

CAP. II.

DE GALLICIS MILITIBUS, QUI, BELLO IN CYPRO ET SYRIA A FRIDERICO INITO, QUOD « LONGOBARDICUM » VULGO NUNCUPATUM EST, CUM IMPERATORIS PARTES ADVERSA FORTUNA SECUTI ESSENT, EXSILIO DAMNATI SUNT.

Interea Isabella Imperatrice Andriæ, in urbe Apuliæ, dum filium parit, mortua [1], puer infans, qui Conradum nomen acceperat, Hierosolymitani regni legitimus hæres fiebat, et imperium quod Johannis de Brienne fuerat, cum hic, nomine filiæ, cuncta regeret, successionis jure descendebat ad illum ipsum a quo nuper injuste occupatum erat. Itaque Fridericus, dum cruce ad bellum gerendum signatur, hoc sibi proponere poterat ut terras filio destinatas ab infidelibus reciperet. Nec mora, duobus fere mensibus post Isabellæ mortem, imperator, Brundisio profectus [2], adversam Romaniæ ripam petit et Syriam versus vela pandit. Necdum Peloponnesum classis prætervecta erat, cum per mare Americus Barlais cum Gaviano et ceteris tribus obviam occurrit. Sic inter seditiosos milites Limassol urbem intravit imperator atque primum cum Johanne de Ibelino colloquium habuit.

Quid deinde? Hæc jam omnia magis scita sunt quam ut nobis singula narranda esse videantur [3]. Nihil sane

1. Anno MCCXXVIII°, die septimo ante Kal. Maias.

2. Huillard-Bréholles, III, p. 489.

3. Plura invenias apud : Mas-Latrie, op. laud., Huillard-Bréholles. (*Introduction*, p. CCCXXXI et seq.); E. Kestner, *der Kreuzzug*

in tota Friderici vita magis mirandum invenias quam hoc bellum, crucis vindicandæ causa a viro e Sanctæ Ecclesiæ communione excluso inceptum, atque sine armis et sanguine gestum, dum de conditionibus pacis cum Saracenis urbane agitur[1], adversus autem christianos qui Cypri et Hierusalem regna tenent dolose contenditur. Propositum tandem assequi visus est Fridericus, cum eodem tempore tres urbes sacras, videlicet Hierusalem, Bethleem, Nazareth[2], a Soldano restituendas esse impetraverit, Henrici vero regis homagio accepto, Cyprenses milites in verba sua adegerit. Sed vana et fluxa adeptus erat. Nam imperator, cujus Italicæ provinciæ gravibus periculis laborarent[3], Terram Sanctam linquere cogitur, ubi sibimetipsi coronam, abnuente patriarcha, imponere coactus erat.

Legatos autem in regno Hierosolymitano Fridericus reliquit Balianum de Tyro, qui Isabellam consobrinam[4] in Apuliam olim comitatus erat, et Gallicum quemdam, nomine Garnerium Alemannum, veteri nobilique gente natum, quæ e Provincia in Syriam migraverat.[5] In Cypro vero imperator sua summi domini et tutoris regii jura ad quinque bajulos detulit, qui fuerunt quinque illi transfugæ, Americus et Gavianus cum ipsorum

Friedrich II, Göttingen, 1873, in-8°; Hans-Müller, *Der Longobardenkrieg auf Cypern;* V. Löher, *Kaiser Friedrichs II Kampf um Cypern. Abhandl. der k. bayr. Akademie der Wiss.*, 1898, p. 109-180); E. Winkelmann, *Kaiser Friedrich II,* Lipsiæ, 1897, ii, p. 85 et seq.

1. Fatendum est imperatorem, quippe qui armatorum et pecuniæ simul defectu laboraret, aperta vi quæ in omnium christianorum votis essent consequi non potuisse. (Winkelmann, *Kaiser Friedrich II,* ii, 97, et sq.).

2. Winckelmann, ii, p. 118-119.

3. Winckelmann, ii, p. 108 et n. 3.

4. Supra videas; Baliani uxor, Margarita, Johannis de Br nne neptis erat. Cf. *(Les Familles d'Outremer,* p. 434-35).

5. *Les Familles d'Outremer,* p. 505.

sociis. Isti tunc juvene ipso rege potiti erant, nec non et castris, quæ in tota insula, imperatoris jussu, occupata erant præsidiis Germanorum et Italorum, qui a Cyprensibus sine discrimine « Longobardi » vocabantur. Sed vix uno mense postquam imperatoris classis altum denuo petierat, Johannes de Ibelino, qui cum plerisque militibus Fridericum in Syriam secutus erat, in insulam redit et imperatoris legatos aggreditur. Tunc cœptum est bellum, cujus variæ vices narratæ sunt a Philippo de Novarre, milite fortissimo et eodem poeta, qui in *Gestis* illis *Cyprensium* narrationem permiscuit *cantilenis*, e quibus constare videtur quædam inter multas alias pœmatum collatorum series, gallice « *Roman de Renart* » nuncupatas, qua nihil sane inter opera vulgari sermone in Orientis partibus conscripta mirabilius invenias : in qua Ysengrini lupi Johannes de Ibelino, vulpis autem Renarti Americus Barlais partes suscipit[1].

Primum ad manus ventum est inter Longobardos et Cyprenses apud Nicosiam. Cum illis qui sub imperialibus vexillis pugnabant res adversa fuisset, Gavianus, qui prælio graviter steterat et conestabilem Gerardum de Montaigu manu sua interfecerat, in castrum Kantara cum suis se recepit, ubi, dum inter turris altissimæ pinnas vultum ostendit, telo ictus interiit[2]. At ceteri quatuor bajuli, cum sine auxilio et ab imperatore relictos se viderent, fœdus cum Johanne composuerunt, quamprimum quidem violandum. Americus enim inimicum suum capitalem unicum Cyprensis regni bajulum modo salutaverat, cum Fridericus exercitum, duce Riccardo Filangerio marescallo, mittit. Bellum igitur gravius exardescere. Filangerius cum exercitu recta via ad feuda-

. *Les Gestes*, p. 69.
. Cf. *l'Estoire d'Eracles*, p. 377.

lem Johannis de Ibelino terram pergit, et castro Beirut obsidionem infert. Cyprenses autem copiæ, quæ statim accepto nuntio ad depellendos hostes fretum transierant, in loco dicto Casal-Imbert, haud procul ab Accone, cladem acceperunt, et rursus Longobardi, rerum successu incitati, insulam iterum occupaverunt. Sed Johannes de Ibelino, exercitu novo quam celerrime comparato atque navigiis a Genuensibus qui Syriam incolabant impetratis, in insulam audentissimo impetu descendit et vestigiis marescalli et Americi Barlais hæsit. Primo congressu, ut notum est, in loco dicto Agridi, Longobardorum exercitu oppresso et fuso, superstites castrum Cherines trepide petierunt, et, cum in arce illa inexpugnabili annum totum restiterant, tandem in deditionem venerunt.

Cum Cyprus insula eo modo missa esset, in urbe Tyro Riccardus marescallus, nomine Friderici et pueri Conradi, regii bajuli et imperialis legati titulos semper tenebat. Sed non nisi vana quadam auctoritatis specie ornatus videbatur, quam ipsi Acconis urbis mercatores repudiabant. Anno tandem MCCXXXII°, quo Conradus tutelæ suæ fiebat et Fridericus juribus quæ tutoris nomine tenuerat exuebatur, proceribus clericorum et militum et civium in solemne concilium coactis, ut jus *Assisarum* ferebat, placuit ut Hierosolymitani regni summa rerum deferretur in manus Cypri reginæ, Alix de Campania, quæ sanguine Isabellam, regis absentis quondam matrem, propius attingebat. Illis autem qui cum imperatore ipso adeo arroganter egerant, hoc unum restabat, ad manus venire ut Longobardorum ultimos e regno exterminarent. Itaque, cum e Syria simul ac Cypro milites adversus communem hostem coacti Tyrum oppidum obsidione premerent, Riccardus Filangeriu

qui, mœnibus non jam circumsessis, ex urbe per mare effugere poterat, sæva tempestate jactatus est, et, navi ad littus impacta, in hostium manus ipse incidit. Lotharius autem, Riccardi frater, qui in oppido cunctis præerat, legatione obsidentes adivit, ut de urbis dedendæ conditionibus conveniretur. Tribus tandem post mensibus quam imperatoris filius regia jura ipse obtinuerat, Longobardi omnes, marescallo duce, rursus in Apuliam navibus profecti sunt, atque, quanquam alium bajulum, comitem Thomasum de Aquino, Fridericus in Syriam postea miserat, omnibus jam illo tempore apparuit imperialem potestatem in ipso die e partibus transmarinis evulsam fuisse, quo Filangerius Tyrum liquisset. Cujus rei auctorem habemus Philippum de Novare, qui, cum adversus imperatoris fautores gladio et verbo acriter decertavisset et Tyri de pace pro virili parte tractavisset, his verbis, dum de marescalli discessu in libro suo agitur, gaudium ipse præfert : « Adonc fu desraciné et araché le pesme ni (*pessimus nidus*) des Longuebars, si quonques puis n'orent pooir en Sirie ni en Chipre. »[1] Illuc evaserunt quæ magna animo volverat Fridericus Augustus, ut imperii sui fines ultra Siciliam et mare proferret, usque in Orientis partes, quæ Gallorum erant.

Multo autem antequam urbs Tyrus capta est, ab omnibus illis qui e transmarinis regnis imperatoris partes secuti erant, pœnas exigi coeptum est. Johannes de Ibelino, qui Americi Barlais injurias et proditiones æquo satis animo primum tulerat, severiore sententia usus est, cum in campo obviam occurrit Cyprensibus fidei ruptoribus et cum « Longobardis » in acie commixtis. Itaque, parta apud Agridim victoria, dum terra marique

1. *Les Gestes*, p. 135.

castri Cherines obsidio fervet, militum concilium; quod majus vocabatur[1], a bajulo indicitur, ut de hominibus ligiis, qui sacramenti religionem rupissent, fieret judicium. Consessus autem de communi sententia reos exsilio mulctandos et illorum bona publicanda censuit. Quorum nomina, quæ in libello de Cyprensium gestis frustra requiras, nobis prolata sunt ab Amadi, rerum Cyprensium auctore, cui commentarios a Philippo de Novare de vita ipsius scriptos, in quibus nonnulla inessent, quæ breviori narrationi miles non inseruisset, evolvere contigit. Nil mirum si inter exsules invenis juvenes illos, quos titulo bajulorum imperator ornaverat; e quibus, cum Gavianus occisus esset et Guillelmus de Rivet ante finem belli de vita decessisset, tres, qui supererant, omnium primi nominantur, Americus Barlais, Amalricus de Bethsan, Hugo Gibelet, quibus socii fiunt Philippus Chinardus, Hugo Chabot, Hugo de Mare, Rainaldus de Chamberlan, Hugo et Bertrandus Porcelet[2].

Hoc autem animadvertit recens Cyprensium rerum scriptor, qui, postquam occultas artes et pugnas Americi Barlais et ceterorum narravit, eosdem, adversa fortuna laborantes, in exsilium sequi tentavit, scilicet quod fere omnes ex annalibus terrarum transmarinarum, in ipso pacis tempore, quæ paulo post majoris concilii sententiam composita est, velut evanescere videntur[3]. Attamen

1. Gallice *Haute-Cour*. Cf. *Les Gestes*, p. 108.

2. « Questi sono li nomi di coloro che furon desheredati : Chamerin Barlais, Almerico de Bessan, Hugo de Zibelet, Philippo Genardo, Hugo Zaboc, Hugo de Mare, Rinaldo de Zamberlan, Hugo et Beltran Porcelet, quelli di Creissi di Thabor, quelli di Carpasso, quelli de la Messaria. Gavan morite in la prima battaglia e Zacco de Binet da poi, et però non furon loro exheredati ». (AMADI, p. 175; Cf. Procemium, p. v).

3. « L'Histoire d'Outremer n'en parle plus après ce temps » (MAS LATRIE, I, p. 302).

fatendum est nonnullorum, qui e Cypro expulsi erant, vestigia quidem in Syria ipsa inveniri posse.

Mortuo enim Americo Barlais, qui non magis tribus annis cladi superfuit, anno MCCXXXVI° ejus filium in urbe Tripoli invenimus, et in ipso privilegio, quo nominatur « Johannes Barlais, *quondam* Americi filius[1], » Hugonis de Gibelet, qui unus e quinque bajulis fuerat, nomen legimus[2]. Americum autem ipsum verisimile videbitur recessisse in comitatum, e quo insidias non semel ipse jam tetenderat, primum ante Friderici adventum, iterumque, in brevissimo pacis spatio, quæ inter duas cum Longobardis acti belli partes media fuerat. Notum est enim Bohemundum, Tripolis comitem, omnium primum Friderici partes adversus Johannem de Ibelino esse secutum[3]. Quin, cum Filangerii exercitus Tyrum reliquit, extremum paucis, qui de imperiali fortuna nondum desperaverant, urbs quam Bohemundus tenebat patuit perfugium, in quo, ut videtur, sedem et domicilium invenit ipse Thomas de Aquino, bajulorum Friderici ultimus[4]. Nec mirum si inter milites qui in Bohemundi aula intererant nominatur, una cum Hugone de Gibelet et Americi filio, miles alius e Cypro exsulatus, Bertrandus Porcelet[5].

1. *Les Familles d'Outremer*, p. 485, n° 4, et p. 518. Strehlke, *Tabulæ Ordinis Sanctæ Mariæ Theutonicorum*. Berolini, 1869, p. 64, n° 81. Röhricht, *Regesta Regni Hierosolymitani*, Œniponti, 1893, p. 279, n° 1069.

2. In urbe Tripoli domum etiam invenerunt alii duo e gente Barlais, scilicet Rainaldus (anno mccxli° ; Röhricht, p. 287, n° 1102) atque Hugo (anno mccliii°, Röhricht, p. 317, n° 1204). In charta alia, Accone, anno mccliii°, mense Junio, edita, nominatur « Almaricus Barlays, filius quondam Aymarici Barlays » (Röhricht, p. 317, n° 1206).

3. *L'Estoire d'Eracles*, p. 368.

[4]. Huillard-Bréholles, Introduction, p. ccclxvii, n° 4.

[5]. Strehlke, p. 64-65. Röhricht, p. 279, n° 1068. Bertrandum [e]ndem in Syriam anno uno post castri Cherines deditionem (scilicet [mccx]xxiv°), jam transisse claret, e charta mense Novembri edita, qua

Excepta autem Tripoli urbe, non est in tota Syria locus alter in quo illorum, qui majoris concilii sententia damnati erant, vestigia perspiciantur. Haud ægre concedas, una cum ipso Mas-Latrie [1], hoc fieri potuisse ut Fridericus in regno suo Siciliæ illis, qui ad parandum sibi orientale regnum vitam et fortunas in discrimen obtulissent, terras et honores quæ amisissent restituerit. Nonne enim sponte sua imperator, cum in Cypro versaretur, in Apuliam secum adducere tentaverat filium unum Baliani de Ibelino, cui officium capitanei Fogiæ, urbis scilicet quam regni sedem gratissimam haberet ipse, offerebat, ita ut multis postea annis viro apud Cyprenses milites cognomen « Johannes de Fogia » datum maneret [2] ?

Nemini tamen illorum, qui nostris temporibus de rebus italicis nec non orientalibus docte et diffuse tractaverunt, in mentem venit chartas imperiales vel pontificales ad regnum Siciliæ pertinentes cum libello de Cyprensium gestis atque cum actis publicis Hierosolymitani regni conferre, si forte in utrisque eadem nomina agnoscerentur. Si quis autem scripta illa diligenter composuerit, illi non erit magno labore rerum satis quidem nobilium a Gallis gestarum, qui, ante Caroli Andegavensis victoriam, ex Orientis partibus in Apuliam migraverunt, memoriam renovare.

miles ille se terram quamdam fratribus Ordinis Theutonicorum apud Acconem vendere profitetur. Acto autem etiam interfuit « Riccardus Filangerius, Imperii marescallus et regni Hierosolimitani bajulus ».

1. « Si Frédéric II voulut récompenser leurs services, ce ne put être qu'en Italie et dans ses propres domaines ». (Mas-Latrie, p. 302).

2. « Johan de Foges » *(Les Gestes*, p. 48).

CAP. III.

DE AMALRICO DE BETHSAN, AMERICO SEVARINO, HUGONE CHABOT MILITIBUS, QUI, POSTQUAM CYPRUM RELINQUERE COACTI SUNT, AB IMPERATORE TERRAS IN BASILICATA ET TERRA BARI ACCEPERUNT.

In libello ab incerto auctore Gallico sermone scripto de gentibus quæ in partibus transmarinis floruerunt, cum Amalrici de Bethsan, qui fuit unus e bajulis Cypri, nomen occurrerit, hæc addita leguntur: « Amauri ala en Poulle et esposa feme, et fu seignor de Tricart [1] ». Nihil explicatius illo testimonio, nobis servato in opere sive Accone sive in Cipro, ut videtur, redacto, quod, simul cum scriptis illis juridicis quæ *Assisæ* Hierosolymitani regni inscribuntur, in quibusdam codicibus sæculo XIV° manu scriptis est inventum [2]. Duabus etiam litteris publicis in Italia ipsa editis, quæ de Amalrico in partibus transmarinis memoria tradebantur aperte confirmantur. Quarum in una Fridericus imperator anno MCCXXXIX°, Idibus Novembribus, mandat ut Terræ Bari Justitiarius nobili viro « Aymerico de Bassano » uncias auri quinquaginta pendat, quibus ille ad exercitum apud Laudum, equis et armis instructus, sine mora se conferat [3]. Illo enim tempore omnium fidelium virorum imperatori opus erat, ut Gregorium

1. *Les Lignages d'Outremer*, Ed. Beugnot; *Recueil des Historiens des Croisades, Lois*, t. II, p. 463.
2. Id., t. I, p. LXXXIV.
3. HUILLARD-BRÉHOLLES, V, 1re partie, p. 490.

papam, a quo rursus anathematis fulmina accepisset, debellare posset[1]. Paucis post annis, Amalricus ipse sententia illa ictus est, qua, anno MCCLV°, ante diem octavum Kal. Apriles, Manfridi regis fautores, qui iterum Saracenos Luceriæ adversus pontificem concitaverat, a communione Sanctæ Ecclesiæ segregati sunt. Quin in litteris pontificalibus clarius etiam quam in imperiali mandato militis nomen scriptum est : « Aymaricus de Beczano[2] ». Nomen ipsum italicæ urbis, quod gallice et mendose transcriptum invenimus, legendum esse apparet *Tricaricum*. Sic in Basilicatæ jugis nobis obviam fit miles ille qui, in carmine quod a Philippo de Novare in media Cyprensium rerum narratione insertum est, « Grinberti » melis satis humiles partes sustinuit[3].

Ecce autem procul a collibus qui fero ac tristi adspectu fluminis Bradani lutosæ valli imminent, in Terra Bari temporibus Conradi et Manfridi regum, Amalricus alter Cyprensis (vel Americus) invenitur. Hujus nomen legebatur adhuc ineunte sæculo XIX° super portam castri Pali, nunc funditus eversi, in titulo lapidi insculpto, quem ex Patris Garrubæ lectione, gravioribus tantum erroribus correctis, perscribimus[4].

AUGURIIS INCEPIT BONIS STRUCTURA VALENTIS
MILITIS ; HEC CREVIT[5] REGIS HONORE POTENTIS.

1. Id., Introduction, p. CDLVI.

2. E. WINKELMANN, *Acta Imperii inedita,* Inspruck, 1885 ; II, p. 727, n° 1044.

3. *Les Gestes,* p. 55.

4. GARRUBA, *Serie critica dei Pastori Baresi,* Bari, 1820, p. 885. Titulum laudatum invenisse me libenter fateor perscriptum in studio quodam a Rev^mo^ domino NITTI DE ROSSI condito (*Napoli nobilissima* 1898, p. 132).

5. *Garruba* : Credit.

HOC AMERICUS [1] OPUS CYPRENSIS ROBORE FORTI
CONSTRUXIT, TUTE CUPIENS SE CREDERE SORTI.
NON SIBI CURA FUIT IN CASTRIS PONERE MENTEM :
SIC SE VICINE VOLUERUNT VIVERE GENTES.
HOSTIBUS HOSTIS ERIT, TUTELA BONORUM,
HOSPITIUM TUTUM RECTIS ET PREDA MALORUM.
LUSTRIS UNDENIS UNO CUM MILLE DUCENTIS
ANNIS TRANSACTIS OPUS HOC SURREXIT IN ALTIS,
UNDECIMUS MENSIS ANNI NUMERUSQUE DIEI
SEXTUS VIGESIMUS, JOVIS CUM PANDIT HORA
QUARTA PRINCIPIUM SEPTEMBER PREBUIT ANNO,
OMINE FELICI DUM CASTRUM SURGERE CEPIT.
PROGENIES DOMINI RAIMUNDUS NOMINE FORMAM [2]
PREBUIT HUIC OPERI MODERATUS OMNIA RITE [3].

Enodatione quadam sane carmina illa horrida indigere videbuntur, nec, exempli gratia, intelligibile exstabit decimum tertium carmen, si quis non compererit quod Barenses primo die Septembris initium anno, Græcorum more, imponere consueverant. Sed e medio verborum ambitu omnia quæ in historiam rei scribendam conducere valeant clarius elucere fatearis : cum anno scilicet MCCLV°, mense septembri, castri Pali fundamenta jacta essent, anno Sequenti, ante diem septimum Kal. Augustas, quinta hora, murorum opus, cui domini filius ipse præesset, satis alte in auras subductum esse, ut lapis cum inscripto titulo ad commemorandam castri ædificationem super portam in muro includeretur. Jussu autem nobilis cujusdam militis, nomine Americi, qui Conradi regis res sequebatur, incœptum erat opus. Cujus viri gentilicium nomen e duabus litteris publicis anno MCCLIV°, mensibus Novembri et Decembri editis,

1. *G.* : Amfricus.
2. *G.* : Parmam.
3. *G.* : Vite.

accipias : « Americum Savarini » vel « de Saveriis. » Cyprensi illi militi, qui in terrarum transmarinarum annalibus non occurrit, non solum oppidum Palum, sed etiam urbs Bitectum, cum Valenzani Moduniique terris, a Conrado rege donata, contigerant[1].

Dum Amalrici de Bethsan feudum in media Basilicata solum exstitisse videtur, possessiones quas Americus de Saveriis in Terra Bari tenebat undique terris circumdabantur, quas quoque Gallorum aliorum e Cypro deductorum esse comprobabimus.

Domino enim Grumi, oppidi non magni tribus millibus passuum a Palo distantis, nomen erat Hugo Chabot, in quo alium agnoveris e militibus qui cum Amalrico de Bethsan a majore concilio Nicosiæ habito damnati erant. Hugonem autem illum dimidia parte terrarum, quæ ad castrum Noe et casale Triviani pertinerent, Fridericus donavit, quibus Manfridus, cum, Conrado minore (Conradino) adhuc puero, regnum bajuli nomine teneret, Grumum urbem et bona quædam, quæ defuncti Bari conestabuli fuerant, addidit. Denique Cyprensis ille miles in Apulia, haud secus atque Amalricus de Bethsan, uxorem duxerat, nomine Broamundam, a qua Sanctum Nicandrum, Capursum, Cannetum et Rutilianum oppida in Terra Bari, simul cum castro Tabernæ in Calabria, in dotem acceperat[2].

Duorum autem Cyprensium militum possessiones, quæ inter se cohærebant, ut a collibus qui *Murgiæ*

1. E. Berger, *Les Registres d'Innocent IV.* (Bibl. des Ecoles d'Athènes et de Rome), Paris, 1897, in-4° ; III, p. 537. B. Capasso, *Historia diplomatica regni Siciliæ* (1250-1266), Napoli, 1870, in-4° ; p. 86, § 177.

2. Confer privilegium ab Innocentio IV° papa anno MCCLIV° ante diem tertium Idus Novembres « Hugoni Chabot, fideli suo » concessum (Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, III, p. 536, n°s 8187-8188).

vulgo dicuntur usque ad mare Adriaticum quasi sulcum per mediam terram Bari ducerent, non inter feudos ab Italicis dominis occupatos tenebantur, sed ab oriente sole et occidente, usque ad Andriæ campos et Brundisii juga, possessionibus Gallicæ gentis continuabantur, quæ e Cypro quoque venerat, duce viro fortissimo, Philippo Chinardo.

CAP. IV.

DE PHILIPPO CHINARDO, CYPRENSI MILITE, QUI CUPERSANENSI IN APULIA COMITATU DONATUS EST, DE COGNATIS EJUS, QUI ILLUM IN ITALIAM SECUTI SUNT, ATQUE DE NON NULLIS ALIIS CYPRENSIBUS QUI, REGNANTE FRIDERICO AUGUSTO, IN TERRAM BARI SE CONTULERUNT.

Philippi Chinardi nomen in privilegio, quod anno MCCXXVI° Ordini Sanctæ Mariæ Theutonicorum Fridericus concessit, inscriptum primum invenimus. Hujus militis de gente, qui inter nobilissimos viros electus erat ut in Apuliam Hierusalem reginam comitaretur, certa exstant paucissima; cum nobis non constet qua propinquitate ipse innexus fuerit Americo Chinardo qui, anno MCCXII°, Kalendis Martiis, in litteris quibusdam Johannis de Brienne, Hierusalem regis, testis nominatur[1], atque anno MCCXXIX°, mense Maio, donationi a Friderico concessæ, cum imperator in urbe Tyro ageret, interfuit et subscripsit[2]. E libello tantum de gestis Cyprensium hoc accipimus Philippum Chinardum eadem matre genitum esse qua Gavianus ille, qui apud Fridericum gratia floruerit, itaque ad gentem,

1. F. Delaborde, *Chartes de Terre-Sainte provenant de l'Abbaye de Notre-Dame-de-Josaphat,* Paris, 1880, p. 96, n° 46. Röhricht, p. 229, n° 857.

2. Winckelmann, *Acta,* i, p. 273, n° 303. Böhmer-Ficker, *Regestt imperii,* v, n° 1755. Röhricht, p. 266, n° 1016.

e Campania, Galliæ provincia, ortam, quæ in terra transmarina cum gentibus de Soissons et de Rivet affinitate conjunctà esset[1], pertinuisse. Utrum Philippus Chinardus cum militibus qui reginam secuti erant in Syriam redierit, an in Friderici aula manserit, dum Cyprum cum Gaviano fratre petendi tempus venerit, non compertum est. Interfecto demum Gaviano, in lucem redit Philippus, cum in fratris locum ad castrum Kantara imperatoris nomine defendendum successerit : « Adonc fu cheveteine de la Candare Phelippe Chenart, qui estoit frere de sire Gauvain de par sa mere, et estoit juenes hom vistes et penibles[2]. » Cum, pace jam disturbata, quæ post castri Kantara deditionem composita esset, bellum rursus adversa Longobardorum fortuna motum esset, castro Cherines, in quod bajulorum exercitus post cladem confugerat, defendendo iterum præfuit Philippus Chinardus, una cum milite, qui ex Apulia venerat, Gualterio de Aquaviva[3]. Castrum autem undique circumclaudi non poterat, quippe quod in promontorio prærupto sederet, inter duo maris sinus mediocres, in quos navibus aditus pateret[4], ita ut Johannes de Ibelino obsessos, quin ad Syriæ et etiam Italiæ partes nuntios mitterent, impedire non valeret. Itaque tres e bajulis superstites, Americus Barlais, Amalricus de Bethsan, Hugo de Gibelet, conscenderunt

1. *Les Lignages d'Outremer*, Ed. Beugnot, p. 461. *Les Familles d'Outremer*, p. 596 et 607.

2. *Les Gestes*, p. 68, Cf. Amadi, p. 145.

3. « Si avint qu'ils establirent cheveteine a garder le chastel et le bourc Phelippe Chenart, qui estoit frere de sire Gauvain de par sa mere, et si laisserent L chevaliers, dont estoit cheveteine un gentil homme de Puille, quy avoit nom Gautier de Eguevive ». (*Les Gestes*, p. 107. Cf. Amadi, p. 173-174).

4. De quo castro conferas quæ accuratissime, perpulchris additis imaginibus, descripsit C. Enlart : *L'Art gothique et la Renaissance en Chypre*, Paris, 1899, in-8°, II, p. 559-578, pl. XXXIII. De Castro Kantara videre licet in eodem libro : p. 648-654, pl. XXXIV.

ad Apuliam, qui ab imperatore auxilia peterent. Interea juvenis castri capitaneus, cui spes eorum ultimas, qui partes imperiales in Cypro secuti erant, defendendi onus incumberet, peditibus mille præerat, inter quos nonnullos invenit navales fabros et machinarum instruendarum peritos artifices, quorum ope mœnium turres catapultis muniendas procuravit[1]. Quo tempore autem in operibus ubique adesset, ut extremum et validissimum hostium impetum depelleret[2], in sententia Nicosiæ a majore concilio indicta inter eos qui exsilio afficerentur ipse nominabatur. Denique, postquam annum totum acriter restitit, audivit Philippus quæ Filangerius ipse Cyprensibus ab imperatore jam derelictis suadebat, et, cum ad conditiones pacis, internuntiis Arnaldo de Gibelet et Philippo de Novare, descendisset, cum ceteris ducibus e patria profectus est. Decem postea annis, juvenis ille, qui castra Kantara et Cherines tam viriliter defenderat, præstantissimus in tota Apulia dominus jam factus est.

Nullo autem scripto tempus, quo in Italia Chinardus sedem sibi constituerit, certum habemus. Sed post pacem anno MCCXXXIII° compositam, anno tantum MCCXLII°, ante diem quintum Kal. Novembres, iterum nominatur, in litteris non imperiali, sed suo ipsius mandato editis, e juribus quos tenebat « Dei et imperiali gratia Dominus Cupersani[3]. »

1. *Les Gestes*, p. 108.

2. Amadi, p. 174.

3. Morea, *Chartularium Cupersanense*, Monte Cassino, 1893, in-f°, p. 337. Virum satis eruditum et inter optimos rerum antiquarum, qui ordini sancti Benedicti numquam defuerunt, cultores egregie nominandum non fugit magnum in seculi XIII historiis fuisse Chinardi nomen cujus tamen originem invenire non valuit, cum his verbis pauca de Chinardi gestis breviter narrata clauserit : « Fù un uomo importante adunque, fedele agli Svevi, di nazione, forse, *tedesco* ».

Fratri militis, qui insidias in Cypri dominos instruendo iter fecerat imperatori ad Orientis partes, duci qui inter omnes, qui res imperatoris in Cypro usque ad extremum diem sustinuerant, virtute in pugna, machinarum in obsidionibus scientia, præstiterat, laborum pretium Fridericus persolverat amplissimum, cum ei dominium concessisset, quo in Terra Bari, usque ad tempus Siciliæ regum Aragonensi stirpe natorum, opulentius et nobilius nullum exstiterit. Cupersani comes primus anno circiter MCLIV° fuerat Humfridus, unus e filiis Tancredi de Altavilla, cujus progenies urbem et terras ad ipsam pertinentes usque ad sæculi duodecimi finem tenuit. Mortuo Humfridi ultimo pronepote, Bernardo Godifredi, obscuræ fiunt rerum Cupersanensium vices, cum ordini comitum, qualis ab Apulo scriptore, Paulo Antonio de Tarsia [1], falsa vel suspecta plerumque secuto, refertur, sit adhibenda fides nulla. Exeunte autem sæculo decimo secundo, comitatum Bernardo, Laureti comiti, a Constancia imperatrice concessum esse e diplomate quodam Friderici secundi patet [2]. Bernardi hujus filium, Bernardum Gentilem nomine, qui proximus ante Chinardum Cupersani comes exstitit, mirabile dictu, et ipsum in chronicis de Latini Orientis rebus gallice scriptis nominatum invenimus. Etenim, postquam Fridericus Isabellam de Brienne duxit, ab imperatore Acconem missus est vir ille, qui in verba domini præstantissimos Syriæ milites vocaret [3]. Igitur vel in Apulia, quando Gaviani frater primum cum

1. *Historiarum Cupersanensium libri II* (in *Burmanni Thesauro*, IX, parte V, p. 43 et seq.). Cf. MOREA, p. LXV ET LXVI.

2. WINKELMANN, *Acta Imp. ined.*, I, p. 125, n° 148.

3. HUILLARD-BRÉHOLLES, II, pars. I^a, p. 2, note; pars. altera, p. 921. *L'Estoire de Eracles*, p. 354.

regina Brundisium appulerat, vel in Syria, Philippo Chinardo licuit Cupersani comite familiariter uti. Mortuo autem anno MCCXXXIX° Bernardo Gentili[1], nobis non compertum est quibus rerum vicibus dominium quod iste tenuerat Philippo Chinardo obvenerit.

Terrarum ipsarum, quæ sæculo XIII° Cupersanensis comitatus essent, fines licet satis exacte determinemus. E diversis litteris imperialibus constat Chinardi imperio subditas esse terras Turi[2], Casæmaximæ, Cassani, Petiniani, atque ipsum suo jure, cum urbe ipsa Cupersano, oppida et castra Rutiliani et Terlicii[3], nec non *massarias* quasdam in pertinentiis Caurati tenuisse[4]. Scriptis etiam aliis, ex archivio capitulari majoris ecclesiæ Barensis, quæ nondum vulgata sunt, apparet Chinardum Aquævivæ dominium consecutum esse[5], quod nescimus an a milite illo, Gualterio nomine, quo socio castrum Cherines olim defenderat, acceperit. Nec clarius inter possessiones quas ab imperatore ipso donum acceperit Chinardus, et quas matrimonio, ut videtur, comparaverit, distingui licet. Novimus enim Philippum Chinardum, Amalrici de Bethsan et Hugonis Chabot exemplo, uxorem

1. De Bernardo, qui Neritinum comitatum *(contado di Nardò)*, una cum Cupersanensi, tenebat, hoc invenimus in *Chronico Neritino*, recentiori quidem et suspecto : « Moriò lo Conti de Nerito Bernardo Gentile, e lo successe a la contea de Nerito lo suo fille lo conte Tomaso Gentile (MURATORI, *R. I. S.*, XXIV, col. 897).

2. E charta anno MCCXLVII° edita (WINKELMANN, *Acta*, I, p. 697).

3. Cf. bullam pontificalem qua anno MCCLIV° bona a Friderico et Conrado Philippo Chinardo concessa confirmantur (BERGER, *Les Registres d'Innocent IV*, p. 536, n° 8180).

4. Massariis istis alluditur in litteris a Carolo I° Andegavensi anno MCCLXXVIII°, pridie Idus Apriles, editis (MINIERI-RICCIO, *Saggio di Codice diplomatico*, I, p. 159).

5. Cf. NITTO DE ROSSI, *Codice diplomatico Barese*, Bari, 1897, in-4°, I, p. XVI, nota.

duxisse ex Italica stirpe, nomine Albereiam[1], quæ illi filias duas et filios plures genuit, quorum exponenda nobis erunt fata.

Non solus e gente sua in Italiam venerat Philippus. Terra enim Auricarri, haud procul a Palo, tenebatur a Guillelmo, ejus fratre[2] qui, in diplomate quodam, Bari edito, expressis verbis « Guilelmus Cynardus *Cyprensis* » dicitur[3]; Philippi quoque nepos, Johannes nomine, Gaviani bajuli et Hermelinæ de Soissons filius[4], ipse terras in Apulia habuit, qui, cum avunculum ultra mare secutus est, jam Estephaniam, Johannis de Brie filiam, in Syria duxerat[5]. Sic Gaviani gentem quæ, cum post Longobardorum cladem disjecta esset, scriptoribus rerum Cyprensium semper latuit, in partibus Apuliæ denuo in unum coactam invenimus. Una enim cum ceteris Cyprensibus militibus, Americo Sevarino et Hugone Chabot, Philippus Chinardus et ejus cognati Terræ Bari maximam partem, littore et portubus tantum exceptis, ab Hostunio usque ad Andriam, tenebant. Quin etiam, haud procul a nobilibus viris qui feudis et possessionibus instructi erant, in ipsa urbe Bario, incolam invenimus nobilem alium virum, Adamum de Laspissa (*Lapaïs?*) de Cypro, qui ab

1. Albereiam illam eamdem esse ne credas quæ Gualterii de Brienne relicta uxor, cui Cupersani dominium a Constantia imperatrice, Friderici matre, donatum esse retulit Tarsia, cum cuncta de his rebus ab Apulo scriptore referta falsum redoleant. Constancia enim ante sex annos quam Albereia Gualterium sponsum, anno MCCIV°, amitteret, jam mortua erat.

2. Auricarri locus hodie adhuc notatur ecclesia quadam parvula quæ nomen retinuit « Chiesa d'Auricarro ».

3. *Cod. diplom. Barese*, II, p. 5, Mobiliam quamdam uxorem duxit Guillelmus, filium Narzonem genuit ; id., p. 111.

4. WINKELMANN, *Acta Imperii ined.*, I, p. 304. « Johannes Galvanus, n[ep]os Philippi Chinardi » (Id., p. 692).

5. *Les Familles d'Outremer*, p. 594.

imperatore quæstu quodam de portoriis donatus erat[1]. Alia autem nomina procul dubio nos fugiunt illorum qui in coloniam illam, a partibus transmarinis deductam, se receperunt, ut filii Jacobi de Antiochia et Clementiæ Hazart, Rostaynus et Guillelmus, quos in veteri illo de gentibus Orientis latini libello legas « in Apulia mortuos esse[2]. »

1. Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, iii, p. 536, n° 8183.

2. *Les Lignages d'Outremer*, cap. xxxiv, p. 469.

CAP. V

CUR IN TERRAM BARI MILITES E CYPRO EXSULATI SE CONTULERINT. — DE VIA MARITIMA QUÆ A PARTIBUS TRANSMARINIS AD APULIÆ LITTORA FEREBAT. — DE COLONIIS A FRATRIBUS ORDINUM HOSPITALIUM ET MILITARIUM TERRÆ SANCTÆ IN TERRAM BARI DEDUCTIS. — DE BAROLO, QUOD COLONIARUM ILLARUM VELUT CAPUT ET METROPOLIS EXSTITIT. — DE LITIBUS QUAS CUM ILLIS QUI VEL E CYPRO, VEL E SYRIA IN APULIAM DEDUCTI SUNT VICINI EGERUNT.

Milites qui, regnante Friderico, e Cypro in Italiam migraverant, Amalrico de Bethsan tantum excepto, in unam regni Siciliæ provinciam convenerunt. Quærere autem licet cur potius in Terra Bari quam in ceteris Italiæ inferioris partibus imperator fautoribus suis bona restituerit, quæ in insula Cypro amisissent.

Ad quod ut respondeat aliquis, necesse est primum memoria repetat quo itinere qui ex Orientis partibus Italiam versus tenderent illo tempore uterentur. Cum quidam, exemplo Ludovici VII[i], Galliæ regis, e sacro bello ad Europæ partes redeuntis, ad fretum Messanæ recte pergerent, plerique tamen navigantium, qui alto mari se credere nondum auderent, insularum et littorum seriem flexuoso itinere sequebantur, ut, cum e portu Tyro vel Limisso profecti Corcyram attingerent, bis tantum e conspectu terrarum ablati essent, prius

inter Cyprum et Lyciæ littora, deinde inter insulas Rhodum et Cretam. Corcyra autem relicta, Adriaticum mare, qua brevissimo spatio pateret, transfretabant, ut Hydrunti portum caperent, quo superato, Italicum littus usque ad Terram Bari tute præveherentur. Iter idem, sed retroactum, Fridericus anno MCCXXVIII° secutus est, cum, Brundusio profectus, Hydruntum versus descenderit, unde Corcyram petiverit et ad Orientis partes per continua cursum tenuerit [1]. Cum autem Tyro rediit, Brundusium rursus appulit. In hunc portum, qui navibus ad Apuliæ littora advectis, nec sinus nisi mediocres et arena impeditos videntibus refugium tutissimum et aquas satis altas solus præberet, in extremis duodecimi sæculi annis qui crucis signo distincti bellum adversus cristianæ fidei hostes susceperant non semel convenerunt. Philippus nempe Augustus cognomine vocatus Brundusium anno MCXCI° rediit, atque in eadem urbe Henricus VI, Romanorum imperator et Siciliæ rex, dum classem ad bellum ineundum instruit, extremum diem obiit. Attamen incidit ut naves quibus ex Orientis partibus veherentur mercatores militesque, Brundusii portu superato, Apuliæ littus sæpe legerent, ut portus alios peterent, situ minus tutos, sed commeatuum copia non minus florentes. Barium enim, vel Tranum, vel Barolum, quæ urbes duodecimo sæculo de mercatu in Græcorum aut Saracenorum terris exercendo cum ipsis Venetiis contenderant, tempore quo Suevorum genus in Sicilia et Apulia regnabat cum Orientis Latini regnis consuetudines semper habebant. Cum Amalrico de Lusignano regium nomen concessit Henricus VI, Tranensis archiepiscopus, una cum Brundusino archiepis-

1. Huillard-Bréholles, *Historia diplomatica*, I, pars IIa, p. 898-900. — Cf. *l'Estoire d'Eracles*, p. 155.

copo, imperiale responsum ut redderet ad Cypri partes missus, inde mercatoribus Trani privilegium rettulit, anno MCXCI°, mense Maio ab Amalrico concessum, quo potestas illis fieret in novo regno negotia, nullo vectigali soluto, libere exercendi[1].

A Brundusino sinu igitur usque ad Aufidi ora, non deerant urbes et portus in quos milites e Cypro exsulati, itinere ab ipsis confecto, quod a tam multis e transmarinis terris ad Italiam tendentibus erat superatum, aditum haud ægre invenire possent. Quin etiam Philippo Chinardo et ejus comitibus, cum in Apuliæ littus descenderent, alii statim, qui ex Orientis Latini regionibus ipsi jam antea venerant, obviam facti sunt. Nec mirum : nam, ut mare alterno æstu profluit refluitque, sic tot hominum turba, vel Gallica, vel Germanica, vel Italica stirpe natorum, postquam ad bella sacra in infidelium gentium terras invaserat, necesse erat recederet. Mitto milites illos qui, post cladem acceptam vel bona amissa in patriam redierunt, velut Bohemundus, princeps Antiochenus, qui, Bari vita defunctus Canusii inhumatus est, aut Hugo de Puiset, comes Japhæ et Ascalonis, qui, cum ad Rogerii, Siciliæ regis, aulam confugisset, comitatum Montis Sancti Angeli et totius Gargani dominium accepit[2]. Sed neminem fugit magnos clericorum simul ac militum ordines ad Sacra Loca defendenda institutos, a fidelibus et principibus in cunctis christianis regnis terras accepisse, in quibus cœnobia

1. Diploma, quod Mas-Lattrie suspectum habuerat (*Hist. de Chypre* II, p. 30) nuper a Beltrani, viro Tranensi eruditissimo, vindicatum est, qui certissimum exemplar in Libro portus Tranensis, qui « ruber », nuncupatur, descriptum invenit (*Degli ordinamenti marittimi della Città di Trani*, Barletta, 1873). Cf. W. Heyd, *Histoire du commerce du Levant*, I, p. 361.

2. Cf. Guillelmum Tyrium, ed. P. Paris, II, p. 18-24; *Les Familles d'Outremer*, p. 340.

et ecclesias conderent. In omnibus autem Europæ partibus provinciam aliam ægre invenias quæ Terra Bari possessionibus ordinum illorum frequentior exstiterit.

Siciliæ reges Normanni generis condonationibus lautissimis ordines militares et hospitales in Terra Sancta creatos cumulaverunt, quæ ab imperatoribus Suevis, post adeptum Siciliæ regnum, confirmatæ sunt et auctæ [1]. Girardi tempore, qui primus Ordinis Sancti Johannis magister exstitit, plura jam Ordini concessa erant in regno Siciliæ et Apuliæ quam in ceteris Christiani orbis partibus: anno enim MCXIII°, e septem *Xenodochiis*, quæ Gallici in Terra Sancta Hospitalis Fratres ultra mare tenebant, unum Messanæ, tres vero Hydrunti, Tarenti, Bari numerantur [2]. Germanicum autem Hospitale, Ordinem scilicet Sanctæ Mariæ Theutonicorum, cui in Terra Sancta singulariter faverat Fridericus primus [3], Romanorum imperator, in regno Siciliæ Henricus filius [4] atque Fridericus secundus nepos privilegiis et donis [5] ornaverunt.

1. A Rogerio privilegium concessum est anno MCXXXVIII° (Delaville le Roulx, *Cartulaire général des Hospitaliers*, i, p. 103) ; a Guillelmo II°, anno MCLXXIX° (Paoli, *Codice diplom. del Sacro Ordine Hierosolymitano*, Lucca, 1733-37., i, p. 227 ; Delaville le Roulx, i, p. 382) ; ab Henrico vi°, anno MCXCIV° (Delaville le Roulx, i, p. 614) ; a Constancia regina, anno MCXCVII° (Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, iii, n° 5697 ; Winckelmann, *Acta Imp. ined.*, i. p. 66 ; Delaville le Roulx, i, p. 632) ; a Friderico Augusto, annis MCCXV° et MCCXXI° (Winçkelmann, *Acta Imp ined.*, i, p. 107, n° 127 ; p. 190, n° 212).

2. Lünigs, *Codex Italiæ diplomaticus*, iv, col. 1451 ; Delaville le Roulx, i, p. 29.

3. *L'Estoire d'Eracles, empereur*, p. 14.

4. E. Strehlke, *Tabulæ Ordinis Theutonici*, Berolini, 1869, p. 146

5. Anno mccxvii°, Ordini Germanico « libertates, consuetudines e omnia jura, quibus Templum militiæ *(sic)* et Hospitale Sancti Johanni

Ordini Sancti Johannis plurimæ terræ patebant in cunctis regni Siciliæ provinciis ultra vel citra Pharum, quæ a magnis prioribus, cum Messanæ, tum Capuæ regebantur. Domus autem Ordinis Sanctæ Mariæ Theutonicorum, cum in insula Sicilia, longis interjectis intervallis, sine ordine sparsæ jacerent, in Apulia firmiter in unum coactæ stabant, adeo ut in Chartulariis Ordinis terrarum summam, quibus Normanni et Svevi vicissim præfuerint, non Siciliæ, ut solitum, nomine distinctam invenias, sed Apuliæ[1].

Ordinum hospitalium possessiones in Apulia, velut in cunctis Europæ regnis, non iisdem vinculis domibus in Terra Sancta conditis erant colligatæ. Etenim inter possessiones illas terras et ecclesias procul a mare positas distinguere licet, quæ cum Gallicum vel Germanicum Ordinem dominum et patronum haberent, clericum vel laïcum quemquam, a partibus transmarinis devectum, incolam nunquam acceperint[2]. Sed a partibus transmarinis ad domos in littore Apuliæ ab Ordinibus militaribus Orientis Latini constitutos navibus, quæ ipsorum Ordinum essent, sine intermissione ibatur et redibatur. Fratribus enim vel Sancti Johannis vel Sanctæ Mariæ Theutonicorum jus regiis privilegiis concessum erat, non tantum, cum in regno Siciliæ com-

in Jerusalem privilegiata essent in regno Siciliæ et Apuliæ » concessit (Winckelmann, *Acta Imp. ined.* i, p. 122, n° 145). Illis quoque reditum unciarum auri CCI « de proventibus Dohane et Sicle Brundusii » pendendum curavit (Id., p. 633, n° 815).

1. Cf. Strehlke, *passim*. Idem in Chartulario Canonicorum Sancti Sepulcri invenias. Cf. E. de Rozière; *Le Cartulaire de l'Eglise du Saint Sépulcre,* Paris, 1849, *passim*.

2. « Les donations [faites en Europe aux établissements latins d'O-rient] se sont étendues de la souveraineté politique et de la juridiction piscopale indépendante, jusqu'à la vulgaire propriété foncière ou au mple patronat d'Eglise » (Cte Riant, *Etudes sur l'histoire de l'Eglise de Bethléem,* i, p. 106).

mercium « in subsidium Terræ Sanctæ » agerent, merces ab Orientis partibus nullo vectigali extrahendi, sed etiam peregrinos ceterosque, qui ad Terram Sanctam se conferre vellent, traducendi. Ad omnia illa negotia exercenda, non paucis fratribus opus erat, qui in Apulia cum hospitalibus et ecclesiis, tum mercium emporiis et navalium armamentorum receptaculis operam præstarent. Nec mirum si, ut Amalphitani et Veneti et ipsi Barenses, cum in Orientis partibus negotiarentur, urbium quarumdam Syriæ vel Asiæ partem obtinuerant, ubi sedem sibi constituerant et legibus suis liberius agebant, ita quoque in quadam Apuliæ urbe ordinum militarium Terræ Sanctæ coloniæ creverunt, quæ « magistris » et episcopis in regno Hierosolymitano sedentibus tantum subjectas se profiterentur. Omnibus qui ex Oriente Latino in Apuliam devecti erant, Friderici Augusti tempore, non jam Brundusium aut Barum, qui majores et navigantibus aptiores portus patebant, velut caput exstabat et metropolis, sed Barolum [1]. Etenim Ordinis Sancti Johannis prioratus, qui Bari diutius mansisset, cum anno MCLVI° urbs illa, Guillelmo rege jubente, solo fere æquata esset, Barolum translatus est [2]. In hac eadem urbe Theutonicorum in Apulia magister et idem magnus præceptor, regnante Friderico, manebat. Magistri ipsius qui toti Ordini præesset, cum Salerni extremum diem obiisset, corpus Barolum delatum est atque in Sancti Augustini ecclesia quæ Theutonico rum esset, inhumatum [3]. Baroli etiam Sacræ Domus

1. Cf. S. Loffredo, *Storia dell Città di Barletta*, Trani, 1893, i, p. 181 et seq.

2. Paoli, *Codice diplom. del Sacro Ordine Hierosolimitano*, Lucc[a] i, p. 227.

3. Loffredo, i, p. 838-241.

Templi milites hospitale et ecclesiam magnam titulo Sanctæ Mariæ Magdalenæ[1], canonici vero Sancti Sepulcri ecclesiam unam obtinuerant[2]. Ecclesiæ illæ domusque, quæ hospitalium et militarium Ordinum erant, omnes extra mœnia urbis congregatæ erant, ut sæculo XIII° quasi duabus urbibus Barolum constare videretur, quarum altera, mœnibus cincta, mercatorum et navigatorum Italici sanguinis, sive Apulorum, sive Amalphitanorum et Ravellensium esset, altera vero, in magno suburbio posita, clericorum et militum et peregrinorum Gallici vel Germanici sanguinis copia incolaretur. In duabus illis urbibus, diversæ quoque ecclesiasticæ auctoritates vigebant. Nempe, cum urbs Barolum, quæ sedem episcopalem non adhuc haberet, ab anno MCLXIX°, haud parvo clericorum ecclesiæ majoris, « Sanctæ Mariæ de Auxilio » dictæ, certamine orto, Tranensis archiepiscopi auctoritati subjecta esset, ecclesia simul a canonicis Sancti Sepulcri ædificata ab ipso Hierosolymitano patriarcha leges petebat, atque altera ecclesia, Sanctæ Mariæ de Nazareth titulo condita, a priore quodam regebatur, qui anno jam MCLXII° vicarium generalem Archiepiscopi Nazareni se ferebat, nec tantum nonnullis per Siciliæ regnum sparsis ecclesiis præerat, sed omnibus ecclesiis metropolitanæ ecclesiæ Nazareth, quæ citra mare essent, in partibus « Ragonum, Ungariæ, Allemaniæ, Franciæ, Hispaniæ, Lombardiæ, Thusciæ », et in ipso regno Cypri[3]. Conten-

1. Prologo, *Le Carte dell'Archivio Capitolare de Trani*, p. 132, n° lx.

2. E. de Rozière, *Le Cartulaire de l'église du Saint-Sépulcre*, p. 75. De ecclesia a canonicis sæculo xii° exeunte Baroli ædificata, Cf. C. Enlart, *Les Origines françaises de l'architecture gothique en Italie*, 165 et seq.

3. Paoli, *Codice diplom. del Sacro Ordine Hierosolimitano*, i, 458.

mercium « in subsidium Terræ Sanctæ » agerent, merces ab Orientis partibus nullo vectigali extrahendi, sed etiam peregrinos ceterosque, qui ad Terram Sanctam se conferre vellent, traducendi. Ad omnia illa negotia exercenda, non paucis fratribus opus erat, qui in Apulia cum hospitalibus et ecclesiis, tum mercium emporiis et navalium armamentorum receptaculis operam præstarent. Nec mirum si, ut Amalphitani et Veneti et ipsi Barenses, cum in Orientis partibus negotiarentur, urbium quarumdam Syriæ vel Asiæ partem obtinuerant, ubi sedem sibi constituerant et legibus suis liberius agebant, ita quoque in quadam Apuliæ urbe ordinum militarium Terræ Sanctæ coloniæ creverunt, quæ « magistris » et episcopis in regno Hierosolymitano sedentibus tantum subjectas se profiterentur. Omnibus qui ex Oriente Latino in Apuliam devecti erant Friderici Augusti tempore, non jam Brundusium [illegible] Barum, qui majores et navigantibus aptiores portus [illegible] bant, velut caput exstabat et metropolis, sed Barolum [illegible] Etenim Ordinis Sancti Johannis prioratus, qui Baro[illegible] tius mansisset, cum anno MCLVI° urbs illa, Gu[illegible] rege jubente, solo fere æquata esset, Barolum [illegible] tus est[2]. In hac eadem urbe Theutonicorum [illegible] magister et idem magnus præceptor, regni [illegible] manebat. Magistri ipsius qui toti Ordini [illegible] Salerni extremum diem obiisset, corpus [illegible] tum est atque in Sancti Augustini [illegible] nico [illegible] esset, inhumatum[3]. Ba[illegible]

1. Cf. [illegible], *Storia del* [illegible] p. 181 [illegible]

Tem[illegible] ...us fere
Sanc[illegible] ...ssionis
[illegible] ...bardis,
[illegible] ...olabant
[illegible] ...grini et
XI[illegible] ...Græcos,

tionibus igitur inter clericos locus semper patebat in urbe quæ, cum Tranensis diœcesis pars foret, caput « diœcesis intercisæ », quam Nazarenus archiepiscopus in Europæ partibus teneret, ipsa exstaret. Adde quod militarium Ordinum Fratres patriarcharum Hierusalem et Nazareth vel magistrorum Ordinis ipsius jussa tantum observabant, nec mirum videbitur si inter ecclesiæ majoris Baroli clericos vel Tranensis archiepiscopi nuntios et illos qui ordinum et ecclesiarum Terræ Sanctæ vices in Apulia tenerent certamen initum fuit [1]. Cum enim oratorio cuidam ab Hospitalis Sancti Johannis Fratribus ædificato Barolitanus clerus vim inferre ausus esset, necesse fuit ut summus pontifex medium se offerret, qui litem componeret [2].

Hoc uno exemplo clarius apparet quid in animo haberet ipse Americus Sevarinus, cum castrum Pali, haud procul a Baro, erexisse se diceret « adversus vicinas gentes ». Anno enim MCCLV° Apulia tota pacata erat, et qui Chonradi Manfridique partes sustinuerant ubique rerum potiti erant; sed cum non jam cum hostibus manu et armis agendum esset, tamen inimicitias « gentium », inter quas sedem posuerat, satis jam expertus erat Cyprensis miles, ut munimentis firmanda quæ ab imperatore accepisset ratus esse posset.

Milites qui post Cyprense bellum sedem in Apuliam transtulerant, eodem itinere devecti erant quo Fratres hospitalium et militarium ordinum qui, e Terra Sancta mandati, in Apulo littore domus condiderant. Viri au-

1. Cf. Prologo, *Le Carte di Trani*, p. 118-124 (anno MCLXII°); Delaville le Roulx, *Cartul. gén. des Hospitaliers*, i, p. 508, n° 815 (anno MCLXXXVI°).

2. Cf. Honorii papæ IIIi bullam, anno MCCXIX° editam (Delaville le Roulx, ii, p. 260, ex originali diplomate).

tem illi, cum clerici, tum milites, cum in omnibus fere Terræ Bari urbibus aut vicis dominii vel possessionis jura quædam tenerent, ab eis qui Italis, Longobardis, Græcis, vel Normannis oriundi terram jam incolabant et Italico quodam sermone loquebantur, peregrini et infesti, non secus ac olim inter Syros vel Græcos, habebantur.

CAP. VI

DE REBUS IN ITALIA GESTIS A GALLIS QUI, REGNANTE FRIDERICO AUGUSTO, EX ORIENTIS PARTIBUS IN APULIAM COACTI ESSENT.

Quas non jam in minoribus, quæ in Terra Bari clericorum vel militum animos accenderent, litigiis, sed in Italicis rebus partes tulerint qui, Gallica stirpe nati, non ex Septentrionis, velut Tancredi de Altavilla filii, sed ex Orientis terris ad Apuliam profecti essent, nunc quæramus.

Imperator primum, cui interdicti sententia impenderet, cum a Fratribus Hospitalis et Militiæ Templi in Syria sinistre acceptus esset, qui ei una cum ipso soldano, mortem per insidias machinati esse dicti sunt[1], ira incensus illos cunctis bonis quæ in regno Siciliæ tenerent spoliari jussit, nec longe abfuit quin omnes ultra mare transmitteret. Litteris tantum crebris, quibus summus pontifex perseveranter imperatorem deprecabatur pro illis, quibus Terræ Sanctæ recuperandæ spes omnes niti credebat[2], Fridericus exoratus est, ut rebellibus cuncta

1. Winkelmann, *Kaiser Friedrich II*, II, p. 127-128. Cf. Del Giudice, *Codice diplomatico di Carlo I° d'Angiò*, II, p. 58, in nota.

2. Epistulam confer ab Honorio papa III° anno MCCXVIII° editan apud Pertz-Rodenberg, *Epistulæ sæc. XIII^i Reg. pont. Rom.*, I. p. 5.

quæ adempta essent restituenda esse mandaret[1]. Cum anno MCCXXXII° omnia sua recuperavissent, non postea regni Siciliæ rebus se immiscuisse videntur Fratres Ordinum duorum Gallicorum. Theutonici autem vel in Syria imperatoris in fide manserant. Cujus Ordinis Magistrum Hermannum, qui jam ad matrimonium Friderici cum filia Johannis de Brienne conficiendum pro virili parte contulisset, ad singulos summos pontifices ab imperatore legatus est, et gravissimam inter Romanam Ecclesiam et Romanum Imperium litem iterum composuit[2]. Sed Germanici Hospitalis Fratres, cum ad pugnandum in Borussorum terram plerique missi essent, impera toris partes in Italia armis sustinuisse non videntur.

Cyprenses autem, qui in Apulia feudis et bonis donati erant, de Friderico citra mare velut in Orientis partibus optime meriti sunt cuncti. Quorum plerique ab imperatore vel legationes acceperunt, vel oppidis et castellis Apuliæ defendendis præpositi sunt. Regi Angliæ, qui, anno MCCXXXIX°, sorore sua Friderico jam nupta, sententiam in imperatorem a summo pontifice latam in regno suo publicari concesserat, nuntius missus est Hugo Chabot, Grumi dominus, cum quibusdam, teste Matthæo Parisiensi, [3] gravioribus verbis referendis quam quæ in litteris a milite delatis scripta exstarent.[4]

1. WINKELMANN, *Acta*, I, p. 604, n° 759. HUILLARD-BRÉHOLLES, III, p. 264, 265, 281; IV, p. 378. *Mon. Germ. hist.*; *Epistolæ sæculi XIII*, Ed. PERTZ, I, p. 356. Anno etiam MCCXXXIX° domos Hospitalis Hierosolymitani in prioratu Sancti Ægidii Gallico sub specialem tutelum recepit Fridericus, ut qui Arelatensis et Viennensis regni dominum se profiteretur (HUILLARD-BRÉHOLLES, V, p. 325).

2. WINKELMANN, *Kaiser Friedrich II*, II, p. 97 et 107, n° 1.

3. HUILLARD-BRÉHOLLES, V, p. 466-468.

4. De milite alio, nomine Hugone de Abemario, qui in litteris imperialibus et pontificalibus non semel occurrit una cum Cyprensibus, qui dominus fuit Campimarini et Termuli castellanus, nec non, ut

Eumdem Hugonem anno MCCXLVII° invenimus ad castrum Bari defendendum designatum, duce Philippo Chinardo, cum Philippi nepos, Johannes Galvanus, castellanus esset Trani, Americus autem Sevarinus Baroli.[1] Hoc ipso anno, Fridericus, cum ad Thusciæ et Lombardiæ partes proficisci cogeretur, regnum Siciliæ custodiendum reliquit Gualterio de Manopello, quem titulo *capitanei ad bellum* insignivit. Gualterio autem viros quinque de consiliis ineundis socios addidit, quorum officio et numero ipso tibi in memoriam revocabuntur illi quos imperator insulæ Cypro, ut suo nomine imperium tenerent, imponi olim decreverat. Regni autem Siciliæ e quinque illis « bajulis » unus erat comes Thomas de Aquino, qui paucis ante annis Syriam petierat, ut, Riccardi Filangerii loco, bajuli et legati Sacri Romani Imperii vice fungeretur, tres vero alii nobis jam noti sunt, scilicet Philippus Chinardus, Americus de Saveriis, Amalricus de Bethsan[2].

Quæ Cyprenses milites, cum interessent regni consiliis, egerint, nos latet. Unum exstat opus illo tempore ad castellum Trani muniendum inceptum a Philippo Chinardo, qui rei militaris scientiam, qua juvenis jam floruerat, in Apulia non amiserat. Muri enim descriptionem ipse dedit qui in parte Occidentis ante mœnia et turres prominere, operis autem structuram duobus magistris in Apulia natis commisit, ut e titulo

Hugo Chabot ad Anglorum regem, ipse ad Galliæ regem legatus est, pauca verba facienda esse credimus. Nomen enim militis non absimile videtur Hugonis de Mare nomine, quod, cum ab Amadi mendose, ut alia, descriptum feratur, inter illorum nomina legimus, qui e Cypro post majoris concilii sententiam sunt exsulati.

1. WINCKELMANN, *Acta*, I, p. 692.

2. WINKELMANN, *Acta*, I, p. 689.

patet, supra muri portam posito, in quo hæc carmina tumidioribus verbis inscripta legas :

CESARIS IMPERIO DIVINO MORE TONANTE
FIT CIRCA CASTRUM MUNITIO TALIS ET ANTE.
HUIC OPERI FORMAM, SERIEM TOTUMQUE NECESSE
PHILIPPI STUDIUM CINARDI PROTULIT ESSE.
QUOQUE MAGIS FIERET STUDIIS HEC FAMA TRANENSIS
PROFUIT HIS STEPHANI, ROMUALDI CURA BARENSIS [1].
ANNO INC. I. C. MCCXLIX. INDIC. VII.

Anno vix uno postquam opus ante castellum Tranense, imperatoris simul et Chinardi jussu incœptum, Stephani Tranensis atque Romualdi Barensis ope perfectum fuit, mortuus est Fridericus Augustus.

Cum autem anno MCCLI° Chonradus, filius ille imperatoris et Isabellæ qui Hierosolymitani regis vanum titulum retinuerat, regnum suum Siciliæ peteret, et in Istriana Marca naves adiret, quibus praeter Dalmatiæ littora usque ad Spalatum veheretur, unde Sipontum peteret, jubente Manfrido, qui regni bajulum gereret, nonnulli e præstantissimis Apuliæ militibus obviam juveni principi per Mare Adriaticum iverunt, inter quos Philippus Chinardus, qui litteris a Chonrado apud Portam Rosam (haud procul a Pirano) et apud Parentium mense Decembri editis interfuit et subscripsit. [2]

Mortuo, anno MCCLIV°, Chonrado rege, certamen illud a multis annis inter Suevorum genus et summos ponti-

1. Titulus ille insignis, qui virum doctissimum F.-G. Schulz fugit, cum a Francisco Sarlo primum notatus esset, a G. Beltrani typis vulgatus est (*Cesare Lamberti,* I, p. 348). Ultima autem verba mendose a viris Tranensibus descripta erant hoc uno verbo : *Carabarensis,* pro nomine artificis accepto,

2. WINKELMANN, *Acta,* I, p. 406. BÖHMER, *Acta Imperii selecta,* p. 292-3. BÖHMER-FICKER, V, p. 834, n°s 4567-4569.

fices initum per paucos menses induciis finitum esse visum est. Etenim Innocentius papa quartus, quamvis Siciliæ regnum auctoritati Apostolicæ Sedis iterum subjectum esse prædicaret, tamen regni sui vicarium accepit Manfridum, qui inter Friderici filios maxima gratia apud patrem valuerat, et cum omnes Friderici et Chonradi fautores de sententiis quas subierant absolvit, tum eisdem condonationes feudorum et bonorum, quas a principibus a communione fidelium avulsis olim acceperant, solemni more confirmavit[1]. Inter fautores illos defuncti imperatoris quos in fidem recepit pontifex, una cum Galvano Lancea et Riccardo Filangerio[2], omnes Cyprenses nostri nominatim inveniuntur, ita ut ex ipsis litteris pontificalibus ab Innocentio editis singulas urbes et terras quæ Philippi et Guillelmi Chinardi, Americi Sevarini, Hugonis Chabot fuerint definire potuerimus[3].

Cum autem, simulatione omissa, Manfridus iterum Saracenos Luceriæ adversus pontificem concitavisset, atque, mortuo Innocentio, tumultus undique conflatus esset, Alexander papa quartus, anno MCCLV°, ante diem octavum Kal. Apriles, ultimas in familiares et fautores regis qui rebellavisset jactavit minas, quibus ad sententiam proluderet. Cyprenses, quasi post imperatoris filium in acie starent, ictum acceperunt, qui singuli in litteris pontificalibus nominantur, quibus seditiosi jubentur dicto parere ante dominicam qua cantetur « Lætare. »[4] Eo tempore plerique e Gallis qui in Apulia

1. C. Rodenberg, *Innocent IV und das Königreich Sizilien.* Halle, 1892 ; p. 210, n° 2.

2. Berger, *Les Registres d'Innocent IV*, n°s 8026 et 8028.

3. Cf. Winkelmann, *Acta*, II, p. 727, l. 44-46.

4. Raynaldi. *Annales eccles.*, sub anno 1254, § 64.

sedem habuerant de medio removeri videntur. Quorum unus Philippus Chinardus, cum fratribus suis, stat conspicuus, quippe qui, cum a Manfrido insigne magni ammirati totius regni officium anno MCCLVII°[1] teneret in Italicis rebus atque etiam, ut videre licebit, extra Italiæ fines primas partes ipse susceperit. Cum autem acerrime Gaviani frater pro Friderici filio adversus Romanam Ecclesiam decertare perseveravisset, gravissimis sententiis fuit confixus, ut, mortuo etiam illo qui inter ultimos Suevorum gentis fidem servaverat, vel precibus ipsis Caroli Andegavensis summus pontifex non sit deflexus ad veniam tandem concedendam innocentibus liberis « excommunicatissimi quondam Philippi Chinardi. »[2]

1. Ammirati nomine primum insignitum invenimus Chinardum charta quadam anno MCCLVII° a castellano Cupersani edita, qui, absente domino, res comitatus curaret : « Nos Christofalus terrarum domini nostri Philippi Chinardi, totius Regni Jherusalem Sicili egregii ammirati, castellanus et magister procurator... » (MOREA, *Chartularium Cupersanense*, p. 361. Cf. NITTO DE ROSSI, *Codice diplomatico Barese*, I, p. XVI, nota). Anno MCCLIV°, mense novembri, magni ammirati officium, ut ante Friderici mortem, adhuc retinebat Ansaldus de Mari (C. TUTINI, *Degli Ammiranti del regno di Sicilia*, Romæ, 1660, p. 58; B. CAPASSO, *Hist. diplom. regni Siciliæ* (1250-1266), p. 85, § 173).

2. Bullam a Clemente papa quarto, anno MCCLXVI°, Kal. Octobribus, editam invenies apud DOM MARTÈNE, *Thesaurus anecdotorum*, col. 409.

CAP. VII

DE REBUS A PHILIPPO CHINARDO, MAGNO REGNI SICILIÆ AMMIRATO, REGNANTE MANFRIDO, IN ROMANIÆ ET EPIRI PARTIBUS GESTIS.

Vix cum, post bellum quatuor annos a Gariliani ripis usque ad Pharum jactatum, coronam suscepit, Manfridus et ipse id, quod jam Normannus ille, Inferioris Italiæ domitor, usque ad extremum vitæ suæ diem persecutus erat, atque Fridericus Augustus nuptiis armisque sibi parare tentaverat, scilicet imperium suum usque in Orientis partes dilatare, animo agitavit. Sed in Syriam, a bajulorum imperialium novissimo jam decem ante annos relictam, fortunam tentare vanum erat. Manfridus ipse, ut corona citius potiretur, mortuum esse Chonradum minorem, fratris filium, ad quem jure descendissent regnum Siciliæ et regis Hierosolymitani nomen, primum finxerat. Errore autem explicato, nepotis in Syria jura novus Siciliæ rex vindicare sane potuisset, ut olim Chonradi filii jura Fridericus. Sed hoc ipso anno MCCLVIII°, cum in urbibus Syriæ quæ christianorum adhuc essent, fervente bello quod intra mœnia Acconis inter Venetos et Genuenses initum esset, cuncta miscerentur, regnum Hierosolymitanum alii puero regalis stirpis, Hugoni de Lusignano, deferre studuit Bo e. mundus, princeps Antiochenus ; in cujus sententi m

sine mora concesserunt barones et militia Templi, nec pueri illius, cui avus esset Fridericus Augustus, magister ipse Theutonicorum partes retinuit.[1] Genuenses autem, in quos prope solos Manfridus spem suam reponere posset, Venetorum copiis, post ultimam et cruentam pugnam, in ipsis Acconis viis initam, oppressi sunt, et, urbe relicta, classi suæ commiserunt ut cladis in Syria acceptæ a Venetiarum insulis ultionem peterent.

Duobus igitur Hierusalem et Cypri regnis, qui jam sub imperio gentis de Lusignano in unum conjuncti essent, nullo modo instare Manfridus poterat. Itaque cum Orientis viæ per Mediterraneum mare claudi sibi viderentur, ad Adriatica littora consilia vertit, et, relictis quæ Fridericus magno animo cogitaverat, denuo repetit quæ Guiscardus in terras Albanensium et Græcorum Apuliæ objectas tentaverat.

Epiro tunc Despota præerat Michael Comnenus, cui uxor erat nobilis mulier Provinciali gente « de Pierre d'Aulps » orta, et a Græcis Theodora *Pierdalipa* vocata : Despotæ autem cum filia major Anna Guillelmo de Villehardouin, Achaiæ et Moreæ principi, nupsisset, alteram filiam, quæ, cum ab Angelo Comneno originem duxisset, Helena de Angelis cognomine dicebatur, Manfridus, qui prima uxore, Beatrice de Sabaudia, orbus relictus esset, in matrimonium petivit. Hoc autem connubio cum principibus Epiri et Achaiæ societate juncta, Friderici filio ad Orientem Græcum simul ac Latinum via quædam aperta esse videbatur.

In castro Trani celebratæ sunt nuptiæ[2]. Regi Siciliæ

1. *Continuateur de Guillaume de Tyr* (Historiens des Croisades, Hist. occid., II, p. 634) Cf. Röhricht, *Geschichte des Königreichs Jerusalem*, 1898, p. 896.

2. De rebus ante atque post Manfridi cum Helena matrimonium in Apulia et Albania gestis, uberrimum fontem invenimus in duobus

Helena cum dotem afferret Corcyram insulam et oppida nonnulla in Epiri littore, Botheontum, Avallonam, Chimæram, Caninum, et forsan ipsum Dyrrachium [1], Manfrido sine certamine obvenerunt quæ, ter jam a Roberto Guiscardo [2], Rogerio et Guillelmo regibus cum Apulia vi conjuncta, ter rursus imperio Constantinopolitano fuerant recuperata [3].

Sed ultra Epiri fines major etiam campus Manfrido patebat, in quem ab ipso uxoris patre rapiendus esset. Despota enim eo majore gaudio manus dederat ad affinitates et societates cum Achaiæ principe et Siciliæ rege conjungendas, quod a Latinis illis auxilium se accepturum esse putabat, quo sibi opus foret ad implenda quæ jam diu in animo volutaret, ut in Constantinopolitanum Latinorum imperium simul atque in imperium Græcorum Nicænum, quæ ambo tunc ad extrema ruere viderentur, impetum faceret.

Goffridus autem de Villehardouin et Manfridus, cum Despotam libenter adjuvarent, qui utriusque socer esset, suas ipsorum res quam maxime possent et ipsi augere cogitaverant. Etenim « sperabant (ut scripsit Nicephorus Gregoras) Romanas provincias omnes ab Ionio sinu usque ad Byzantium, se statim et sine labore occupaturos : et haud secus ac si jam earum possessionem firmam haberent, sorte illas, priusquam bellum inchoassent, distri-

scriptis : Domenico Forges-Davanzati, *Dissertazione sulla seconda moglie del re Manfredi e su'loro figliuoli*, Neapoli, 1791, in-4° ; G. del Giudice, *La famiglia di re Manfredi (Arch. stor. per le prov. Napol.*, III, IV et V, an. 1878-1880).

1. *Arch. stor. Napol.*, V. p. 76.

2. Cf. W. Heinemann, *Geschichte der Normannen in Unteritalien*, Lipsiæ, 1894, p. 318 et sq., et in Addendis, § 33.

3. *Arch. stor. Napol.*, III, p. 25.

buebant[1]. » Num illis verbis de pacto quodam inter duos Latinorum principes per syngraphas contracto agatur, non liquet, cum de itinere ipso quod Goffridus princeps in Apuliam fecisse dicitur quo tempore Manfridus Helenam duxisset, non nisi in chronico Matthæi de Juvenatio fertur, quod opus, cum historiarum scriptores usque ad dies nostros deceperit[2], sæculo XVI° fictum esse nunc compertum est. Quid autem in consilio duorum principum re vera inesset dubium non videtur. Princeps nempe Achaiæ et Siciliæ rex socium Græcum prodere statuerant, ut ipsi non secus ac Galli et Veneti in anno illo MCCIV° de summa rerum orientalium potirentur. Cum igitur Manfrido non jam liceret, patris exemplo, ad Cyprum et Syriam vela dare, at Adriatico tantum freto superato, via per terras inveniebatur quæ ad Byzantium recto itinere pergeret, ut jam juveni Siciliæ regi dies ille proximus videretur, quo, quemadmodum Fridericus in ecclesia Sancti Sepulcri coronam regni Hierosolymitani sibi imposuisset, ita ipse in ecclesia Sanctæ Sophiæ coronam imperialem susciperet.

In bellum apparandum acerrime actum est in regno Siciliæ. Anno enim MCCLIX°, mense ipso junii, quo nuptiæ Manfredi celebratæ erant, ad partes Thessalonicæ mandata erat classis, cum tribus millibus Germanicorum et Italicorum militum[3]. Classi illi præfuisse,

1. Ed. Bonn., 1829, l. III, § 5, t. I, p. 72.

2 Inter quos del Giudice ipse nominandus est, qui crebris et gravissimis argumentis ab eruditissimo viro Bartholomæo Capasso latis concedere ægre tulit.

3. II. Πέμψας παρὰ μὲν τοῦ Μαφρὲ τρισχιλίους οὓς αὐτοὶ λέγουσι Καβαλλαρ[...]ις λαμβάνει, ἀνδρείους ἐκ Γερμανῶν (GEORGIOS PACHYMERIS, Ed. Bonn., p. 83). De mense quo classis Apuliæ littora liquerit, cf. del Giudice (Arch. stor. Napol., III, p. 30, in nota).

nomine suo Ammirati regni Siciliæ[1], Philippum Chinardum discimus e diplomate insoliti quidem generis, quo de furto reliquiarum sancti Thomæ diffusius agitur, quæ illo tempore e Macedonia ablatæ, navi quadam aprutina ad Hortonam urbem delatæ sunt[2]. Quas in Macedonia Chinardus res ipse gesserit non claret, quis autem belli exitus fuerit satis notum est. Cum enim, statim ut Germanici milites, e regno Siciliæ deducti, cum Græcis quos Despota miserat atque cum Italis et Gallis quibus ipse Goffridus princeps præerat conjuncti erant, discordia conflata esset, filius quidam nothus Michaelis Comneni, qui copiarum partem ducebat, ad hostes prius transfugit quam pugna apud Diabolim, in Acridi regione, committeretur. Itaque ingenti Græcorum numero Latini obruti sunt, et cum pauci e Germanis et Gallis fugissent, ipse Achaiæ princeps Nicæam captivus deductus est[3]. Alterum exercitum Manfridus ad auxilium Despotæ ferendum misit, alterumque apud Tricoryphum, in Chersonneso, prælium initum est, in quo, cum Epirotarum et Siculorum copiæ victoria egregie potitæ essent, Græcorum dux captus est et ad Manfridum missus[4]. Fortuna autem meliore utendi spatium Despotæ Epiri et regi Siciliæ non relictum est. Anno enim MCCLXI°, paucis mensibus post victoriam apud Tricoryphum partam, urbs Constantinopolitana in manus Michaelis Palæologi cecidit. Sic duæ Græci imperii disjecti partes, quæ in

1. De juribus quæ magno ammirato regni Siciliæ spectarent, cf. litteras anno MCCXXXIX° a Friderico imperatore editas (apud C. Tutini, *discorso degli ammiranti del regno di Napoli,* Romæ, 1660, p. 4-11, et Huillard-Bréholles, *Hist. diplom.*, v., I, p. 577-583).

2. Ughelli, *Italia sacra,* VI, col. 774; B. Capasso, *Historia diplomatica regni Siciliæ (1250-1266),* p. 145.

3. Georgios Pachymeris, p. 88.

4. Ibid., p. 89.

Asiæ et in Europæ oris annos quinquaginta provinciis a Latinis occupatis divisæ fuerant, nunc, regia urbe a Græcis recuperata, rursus in unum coactæ stabant, et imperium Romaniæ, cui vita nova, quamvis non diu futura, inesset, vicinos ipsum aggrediebatur, nedum se defenderet. Nam cum exercitus apud Thessalonicam, Johanne Palæologo duce, cogeretur, pacem ab imperatore Despota petere occupavit. Manfridus ipse, qui Balduinum imperatorem profugum in Apulia benignius exceperat, tunc ab Orientis partibus oculos jam deverterat ut hostibus qui ex Septentrionis partibus regno Siciliæ instarent obviam occurreret. Quæ igitur a Despotæ filia in orientali Adriatici maris littore teneret præsidiis instruere et omni modo ordinare satis habuit.

Legatum autem regni in novis, quibus Apulia ultra fretum proferri videretur, provinciis Manfridus virum elegit, qui Græcos, cum juvenis, usque ad Longobardorum in Cypro cladem, inter eos egisset, omnium maxime noverat, Philippum Chinardum.

Chinardi imperio cunctis parendum fuit, cum clericis, tum laïcis, cum Latinis tum Græcis, qui archiepiscopi Latinorum palatium solo æquari jussit, quod castro majori urbis Corfu, in qua regius legatus sedem statuerat, propius surgeret[1]. Credendum est etiam domum illam castro defendendo impedimento fuisse, Chinardumque, cum hæc juberet, non legati regii tantum nomine egisse, sed magis quoque ducis machinarum peritissimi, eadem ratione qua olim Trani castrum muniendum curaverat.

Actis autem publicis tempore Caroli Andegavensis

1. Reg. And. 1278 A, n° 29 (Del Giudice, *Arch. stor. Napol.*, v. 311).

editis altera res comprobatur, : Chinardo scilicet, tanquam regio vicario, possessiones et bona quibus videretur concedere licebat. Itaque, postquam omnium primo fratri Gazoni feudis et terris locupletando consuluit, alios, qui ex una gente orti erant, milites terris donavit, scilicet Guarnerium Alemannum et Thomasum, fratrem ejus, quorum priori filius erat nomine Aymus[1]. Noli vero credere, cum nomina legas, de quibusdam Germania ortis agi, neque Guarnerium illum unum fuisse ex illis quorum complurium nomen in Friderici et Manfridi litteris scriptum sit Walterus Theutonicus. Nomen enim Alemannus non patriam virorum in hoc loco significat, sed gentilicium fuisse patet, cum in uno diplomatum, quibus de donatione a Chinardo facta refertur, hoc scriptum invenias : « Guarnerius *dictus* Alamannus. » Gens imo illa de Alemannis ne ex Italia quidem, nedum e Germania, in insulam Corcyram collata est.

Gentilicium enim idem, cum iisdem prænominibus, in Syria sæculo XIII° invenitur, ut milites, qui ad Epiri partes Philippi Chinardi tempore migraverunt, Gallica de Alemannis gente oriundos esse satis compertum sit, quæ, ut Cangii verba feramus, « inter nobilissimas Provinciæ gentes habebatur, unde ad Terram sanctam translata erat[2]. » Accedit quod in libello de gentibus Orientis Latini Gallico sermone conscripto, cum de tribus Garnerii Alemanni liberis agitur, hoc expressis verbis invenis : « Heime s'en ala en Corfu[3]. »

1. Reg. And. 1269 A, n° 3, f° 51 v° *(Arch. stor. Napol.* v, p. 42 et 88); Reg. And. n° 17, f°. 24 (Ibid., p. 82).

2. *Les Familles d'Outremer,* p. 505.

3. *Les Lignages d'Outremer,* Ed. Beugnot, cap. XXXV, p. 469. Iterum in cap°. XXXI° nominatur « Haymé qui est *outremer* », cum excerpto libelli, qui in Syria vel in Cypro ageret, insula Corcyra, sicut ip Sicilia, inter transmarinas terras nominanda esse videretur.

Neque ulla res impediret quin confirmaremus quibus propinquitatis vinculis viri Alemanna gente orti, cum in Corcyra, tum in Syriæ partibus, inter se conjuncti essent, nisi nonnulli eorum iisdem prænominibus, Garnerio scilicet et Aymo, distincti essent. Auctor Aymus quidam Alemannus, qui, cum apud Acconem feudum teneret, a Friderico legatus ad Johannem de Ibelino mandatus est [1]. Aymi autem illius patruus, nomine, Garnerius, bajuli imperialis in Syriæ partibus, primum cum Baliano de Sidone, deinde cum Odone de Montebeliardo, officium accepit [2]. Hos viros, qui, cum Friderici partes suscepissent, non tamen cum juvenibus illis Cypri bajulis, qui graviora auderent, rebellionis societatem adversus gentem de Lusignano inierunt, neque unquam ab Ibelinis alieni facti sunt, eosdem esse ne credas quos in Corcyra post annum MCCLIX^m invenimus [3]. Etenim, sicut Cangius eum, qui bajuli imperialis officium gessit, nomine Garnerii majoris notandum censuit, ita militi illi, qui in litteris a rege Hierosolymitano anno MCCXXX° editis occurrit, Aymi majoris nomen erit tribuendum. Hic autem Aymus, qui Agnetem de Francleu uxorem in Syria duxerat, pater fuit Garnerii minoris, qui Agnetem de Terramunda, cognatam Danielis, quem anno MCCXXVI° in Apulia una cum Isabella de Brienne jam invenimus, in matrimonium accepit [4].

Filium habuerunt Aymum, qui, antequam Corcyram

1. *L'Estoire d'Eracles empereur*, p. 386 et 387.

2. Cf. Röhricht, *Regesta regni Hierosol.*, p. 217, n° 813 et passim. Anno MCCXI° Kal. Martiis Garnerius Alemannus una cum Americo Chinardo litteris regiis subscripsit (Röhricht, p. 223, n° 857).

3. *Les Familles d'Outremer*, p. 505.

4. Garnerium officium bajuli reliquit, ut militiæ Templi nomen daret (*L'Estoire d'Eracles empereur*, p. 312, n. e ; *Les Lignages d'Outremer*, cap. xxx, p. 465).

una cum patre petiit, in Syria jam duxerat Isabellam, Raymundi Faisant filiam[1]. De Thomaso autem, Garnerii fratre, in libello de gentibus Orientis latini siletur, quem ab alio Thomaso, Garnerii majoris nepote, discernendum esse reor.

Quo vero anno nonnulli e gente de Alemannis, Syria relicta, in Corcyram sedem collocaverint, ex actis publicis inferre non licet. Sed, cum Garnerius minor, qui anno MCCXLI° primum nominatur[2], baronum concilio in urbe Accone anno MCCL° habito interfuisse feratur[3], certum est milites gente de Alemannis ortos non a partibus transmarinis una cum Riccardo Filangerio fugisse, sed Philippi Chinardi, qui jam summos in Albania honores adeptus esset, fortunam esse secutos. Una cum Alemannis alius quidam, cujus nomen in actis publicis regni Hierosolymitani non semel occurrit, Johannes Yspanus, in Corcyra sedem et ipse invenit[4]. Igitur haud procul a colonia quæ in Apuliæ littore florebat, probatum est Gallos quosdam alios, a partibus transmarinis devectos, in Corcyram, Philippo Chinardo suadente, alteram coloniam deduxisse. Chinardus autem, cum in Corcyra et Epiro Siciliæ regis nomine summam imperii teneret, et Gallis aliis jam circumdaretur, quorum voluntati fidere posset, neque de feudorum, quibus in Apulia ab imperatore olim donatus esset, possessione

1. *Les Lignages d'Outremer,* cap. XXXI, p. 469.

2. ROHRICHT, *Regesta*, p. 287, n° 1103.

3. *Assises de Jérusalem,* Ed. Beugnot, II, p. 246.

4. Reg. And. 1269 A, n° 3, f° 106 v° (DEL GIUDICE, *Arch. stor. Napol.*, V, p. 309). Cf. litteras anno MCCXLII° pridie kal. Maias in regno Hierosolymitano editas (RÖHRICHT, *Regesta*, p. 288, n° 1106). Anno MCCXXXIII° Rogerius Hispanus litteris ab Oddone de Montebeliardo, imperat[illegible]s nomine Hierosolymitani regni comestabulo, editis una cum Raine[illegible]) Alemanno, subscripsit (RÖHRICHT, *Regesta*, p. 274, n° 1046).

simul recessisset[1], opibus et imperio in utroque Adriatici maris littore pollebat.

In Corcyra de clade apud Beneventum accepta et de Manfridi morte nuntium Chinardus accepit. In hoc ipso die omnia quæ in Apulia teneret amissa jam ducere poterat. Cum autem pontificum sententiis inter audentissimos excommunicati regis fautores iterum nominatus esset, neque sibi a clementia Gallici principis, qui Apostolicæ Sedis defensorem et militem se ferret, veniæ impetrandæ spes ulla maneret, tum magno animo digna cogitavit. Qui inter Græcos fama « viri potentissimi » ferebatur[2], cum morte raptus esset dominus ipsius, Friderici Augusti filius, Epiri Despotæ, ut principi princeps, societatem obtulit. Comnenus autem, qui ex improviso tentaretur, primum tanto gaudio fœdus accipere visus est, ut ipsi Chinardo, qui prima uxore Albereia orbus esset, uxoris suæ sororem, quæ ipsa conjugem Græcum nobilem virum, amisisset, in matrimonium dare vellet. Despotæ autem uxorem gente quadam Provinciali ortam esse non fugit, ideoque, mirabile dictu, mulierem Gallicæ stirpis a Gallo Chinardo in Corcyra ductam esse. Dotem ammirati sponsæ Michael concessit nonnullas terrarum quas Manfrido Helena tulerat, et, neglectis quæ adhuc regis occisi vidua servaret juribus, Chinardo quæ imperatoris filii fuerant, Corcyra, Botheontum, Caninum obvenerunt.

Sed hoc ipso tempore, Græcus perfidus insidias paravit, ut quæ iterum se dare simulaverat recuperaret,

1. Litteras confer nomine Chinardi annis MCCLIX° et MCCLXIV° a castellano urbis Cupersani editas (MOREA, *Chartularium Cupersanense*, n. 361 et 376).

2. ... Τοῦ Φιλίππου ἀμηραλῆ ἀνδρὸς δυναμένου πλεῖστα... (GEORGIOS PACHYMERIS, I, p. 508).

atque, sicariis quibusdam mercede conductis, Chinardum, qui dominium parvum sibi jam comparaverat, in quo summam imperii nulli obnoxius tenebat, et vassales habebat Gallos a partibus transmarinis adductos, necari jussit.[1]

Hic fuit vitæ exitus illius Galli qui paucos dies principatum « francum », ut dicebant, in Corcyra condiderat, haud procul ab Achaia, quam regebant principes Campania, Galliæ provincia, orti et ipsi. In annalibus Orientis Latini virum alterum ægre invenias qui res magis mirabiles gesserit quam noster, qui fortuna adeo varia versatus sit, ut nemo antea perspexisset eumdem, Siciliæ ammiratum et Corcyræ dominum, armorum initium fecisse, cum, Friderici Augusti nomine, in Cypro castra Cherines et Kantara defenderet.

1. Res omnes, de quibus agitur, a Georgio Pachymeri nobis traditæ sunt (Ed. Bonn., lib. vi, § 32).

CAP. VIII

QUID DE PHILIPPI CHINARDI PROGENIE, POSTQUAM CAROLUS ANDEGAVENSIS REGNO SICILIÆ POTITUS EST, IN EPIRI ET ITALIÆ PARTIBUS EVENERIT.

Philippi Chinardi fato cum exterriti essent Latini cuncti, cum Italicæ tum Gallicæ stirpis, qui in Corcyra post regis Manfridi et ipsius ammirati mortem inter infestissimos animo Græcos agebant, ad Carolum Andegavensem confugere statuerunt. Chinardi fratres ipsi et propinqui atque qui ex Allemannorum gente cum illis convenerant, victoris ut veniam impetrarent, ultro tradiderunt insulam Corcyram, cum castris et oppidis quibus constiterat principatus a Cyprensi milite per paucos dies occupatus. Res nobis notatione satis digna videbitur, scilicet quod comiti Provinciæ, Galliæ regis fratri, terras, quas primas in Orientis oris tenuit, Galli quidam a partibus transmarinis advecti obtulerunt.

Callidior in rebus gerendis Carolus erat quam ne benigne acciperet illos deditionis pretium ferentes terras ipsas quas dotem habuisset Helena illa, Despotæ filia et Siciliæ regina, nunc conjux orba et eadem in carcere captiva. Dum exercitus per Apuliam cunctos qui Manfridi partes tenuerant insectatur, atque novus in ' erra Bari constitutus justitiarius bona et terras quæ l ıilippi Chinardi fuerant apprehendit, neque pecuniam

quidem a domino Cupersani in manibus abbatis monasterii cujusdam apud Polinianum relictam prætermittit[1], rex ipse a papa deprecatur ut sententiæ, quæ in Chinardi liberos, mortuo etiam patre, adhuc incumberent, solvantur.[2] Quin etiam tribus postea mensibus, anno scilicet MCCLXVII°, ante diem tertium Idus Februarias, Gazonem ipsum Chinardum, Philippi fratrem, capitaneum in insula Corcyra[3], ante vero diem XIII^m Kal. Apriles Garnerium Alemannum generalem regni in Corcyræ et Epiri partibus vicarium instituit.[4] Eodem tempore illos qui in cæde Philippi ammirati interfuissent ex insula depellendos esse mandat[5].

Dum hæc in littoribus Adriatici maris geruntur, — cum in primis a Carolo Andegavense post victoriam gestis rebus contraria contrariis semper objecta sint —, Philippi Chinardi filia, quæ Beatricis, Manfridi et Helenæ filiæ, « domicella » esset, Neapoli in Castro Ovi una cum ipsa mortui regis et reginæ captivæ filia includitur, ante annum MCCLXXII^m non liberanda[6].

Cum terris quæ Manfridi regis et Philippi Chinardi fuissent Carolus Andegavensis jam potitus esset, Viterbi ante diem sextum Kal. Junias fœdus illud cum Bal-

1. Cf. litteras regias, anno MCCLXVI° ante diem III^m kal. Apriles, editas (Reg. And., n° 32, f° 297, apud MINIERI-RICCIO, *Saggio di Codice diplomatico di Carlo I° d'Angiò*. Cf. DEL GIUDICE, *Arch. stor. Napol.*, IV, p. 34.

2. Cf. bullam jam laudatam, et a papa, anno MCCLXVI°, kal. Octobribus, obsignatam.

3. Reg. And., n° 29, f° 8 et f° 17 (*Arch. stor. Napol.*, IV, p. 76). DEL GIUDICE, *Codice diplomatico*, I, p. 278.

4. Ibid., f° 17 (DEL GIUDICE, *Codice diplomatico*, I, p. 298 ; *Arch. stor. Napol.*, V, p. 188).

5. Ante diem IX^m kal. Apriles (*Arch. stor. Napol.*, V. p. 188).

6. DEL GIUDICE, *Arch. stor. Napol.*, V, p. 269.

duino de Courtenay pactus est[1], quo sibi in animo esse imperium in Orientis partes, eorum exemplo qui a Roberto Guiscardo usque ad Friderici Augusti filium Siculis rebus præfuissent, quærere profitebatur. Ex illo pacto imperator qui, postquam a Græcia usque ad Galliam erat vagatus, miser et omnibus rebus egens ad Carolum tandem confugerat, præsentibus summo pontifice et Goffrido de Villehardouin, regi Siciliæ cedebat in primis provincias quæ Byzantii dicebantur « Occidentales » et in quibus, cum jam Manfridi temporibus regno Siciliæ annexæ fuissent, summæ potestatis jura se servavisse contendebat[2]; deinde Carolo e jure suo imperiali investituram de Achaiæ et Moreæ principatu conferebat; denique regi tertiam partem jam attribuebat terrarum quæ adhuc occupandæ essent, excepta una Constantinopolitana urbe, quam sibi tum reliquam facere cuperet.

Sed antequam in illa quæ jam in fœdere apud Viterbum icto sibi proposuerat se naviter immitteret, Carolo cum arcendus Conradinus qui regno in Marsorum partibus immineret, tum illi refrenandi erant qui, audito nepotis Manfridi adventu, Apuliam perturbarent. Guillelmus Chinardus, qui bona sua in Terra Bari retinuerat, insimulatus est quasi seditiosis favisset iisque

1. Cf. Buchon, *Recherches pour servir à l'Histoire de la domination des Français en Orient.* (Coll. du Panthéon littéraire), i, p. 28 et seq. — Del Giudice, *Codice diplomatico,* ii, p. 30 et seq.

2. « ... Totam terram quam Michælicius despotus dotis seu quocumque alio titulo dedit, tradidit et concessit Helene filie sue relicte quondam Manfredi, olim principis Tarentini, et quam idem Manfredus et quondam Philippus Chinardus, qui se pro predicti regni ammirato erebat, dum viverent, tenuerunt » (Buchon, p. 33). Hæc pauca et otatione digna addit Buchon, quæ qua ex fonte hauserit non profert : Philippe Chinard avait eu d'abord des succès *en Chypre*, à la suite e son pélerinage à Jérusalem. »

frumentum suppeditasset[1]. Non tamen inter « proditores » nominatur, in quos acerbissime sævitum est et in quorum numero licet agnoscas, una cum Philippo Chinardo, anno quarto jam mortuo, nonnullos e Cyprensibus, quibus vel post Manfridi obitum in Apulia manere concessum erat, scilicet Hugonem Chabot et Americum Sevarinum[2], quorum abhinc jam nomina in actis publicis legere non contingit.

Cum, clade apud Scurcolam accepta, postremus Suevorum in Siciliæ regnum impetus fractus esset, atque, in suburbio Neapolis, ultimi, qui Friderici Augusti stirpe natum se ferre posset, caput gladio esset truncatum, Carolum ad ea quæ de imperio orientali sibi parando jamdiu animo volvisset redire licebat. Sed, omissa primum via quæ haud procul ab Apulia, per terras cum Siciliæ regno strictius conjunctas, ad Constantinopolim patere videbatur, ad alias terras animum vertit, quæ Siciliam spectabant, neque Græcorum, sed Saracenorum erant. Neminem fugit quo modo Ludovicum fratrem, qui crucis signum ad debellandos infideles acceperat, Carolus avocaverit ad Carthaginis partes, de quibus non semel a Normannorum tempore Siciliæ reges jura sibi vindicaverant. Post cladem illam quæ regis Galliæ mortem secuta est, principum cadaveribus lugubri agmine ad Alpes translatis per Siciliæ regnum viam facere tantum potuit Carolus, nedum ipse imperium suum in Africana littora extendere valuisset.

Decem annis sequentibus, cum copiæ magis exhaustæ essent quam ut vim facere posset, novas tantum

1. Cf. litteras anno MCCLXIX°, mense Augusto, a Carolo editas (DEL GIUDICE, *Codice diplomatico*, II, p. 176, in nota).

2. Anno MCCLXX°, mense Januario (Reg. And., 1269 C, f° 60, apu DEL GIUDICE, *Codice diplomatico*, II, p. 323).

affinitates jungendas procuravit, quibus majoris terrarum partis, quas sibi post futurum bellum redituras fœdere apud Viterbum icto conventum esset, rectius in gentem suam hereditatem induceret; quare anno MCCLXXI° Philippus Andegavensis, Caroli filius, Trani duxit Isabellam de Villehardouin, principis Achaiæ filiam, anno autem MCCLXXII° Beatrix, Caroli filia, Philippo de Courtenay, Balduini imperatoris filio, Fogiæ nupsit.

Legatis simul nobiles et cives in Albaniæ littoris urbibus occulte tentabat rex Siciliæ. Dyrrachium præsertim appetebat, qui portus quasi continuo navium itinere cum Brundusio conjungeretur, atque a Romanorum imperii temporibus maximi momenti haberetur, a quo initium caperet via illa Ægnatia, qua ultra Adriaticum mare via Appia usque ad Thessalonicam et Byzantium continuari videretur. Urbs autem, quæ velut antiquæ Illyriæ civitates municipali jure quasi integra libertate frueretur, nec Epiri Despotæ nec Manfrido vel Chinardo plane videtur fuisse subjecta. Callide satis a Carolo actum est, ut Dyrrachii proceres ultro civitatis suæ dominium ei offerre statuerent. Itaque, anno MCCLXXII°, mense Februario, Siciliæ rex titulis omnibus cum Italicis tum Gallicis, quibus in actis publicis insignitus ferebatur, Epiri regis nomen primum assumere potuit[1]. In illo novo regno ante diem V^m Kal. Martias Gazo Chinardus, Philippi frater, Siciliæ regni generalis vicarius creatus est[2].

1. Reg. And. 1272 x, n° 17, p^is 2 et 23 *(Arch. stor. Napol.*, v. p. 80).

2. Ibid., f° 97 v° *(Arch. stor. Napol.*, v, p. 86). Cf. litteras a as anno MCCLXXII° kalendis septembribus et mense. Novembri G izoni Chinardo mandatas *(Arch. stor. Napol.*, v. p. 87 et 91).

Cum autem, vix a legatis Caroli Andegavensis occupata Albania, suadente, ut videtur, ipso Despota, tumultus inter Græcos coortus esset, accidit, mirum sane dictu, ut, cum Chinardi fratres officia in nova regni Siciliæ provincia acciperent, ammirati filii simul in partes eorum qui adversus regem Siciliæ motum exciverant raperentur. Capti sunt protinus adulescentes, una cum Græcis rebellionis auctoribus, et ad castrum Trani deducti. Regiis mandatis, quibus de illis rebus certiores facti sumus, jubetur Chinardi filios honorificentius haberi et intra cameram in qua conclusi essent liberos manere, cum Græci simul cum ipsis ad Tranum devecti compedibus onerati essent [1]. Nonne autem jure obstupeat qui tot et tam diversa eodem tempore in eadem gente accidisse cognoverit, Chinardi scilicet filiam, post quinque annos e carcere tandem liberatam, ammirati fratrem cum summis honoribus a Carolo Andegavensi in Albaniam missum, et sicut Helena de Angelis captiva ad castellum rediisset, in quo regali et nuptiali pompa prius accepta esset, ita viri filios, qui Friderici Augusti tempore Apuliæ littori defendendo præfuisset, captivos in castellum, ab ipsorum patre quondam munitum, captivos deductos esse ?

De filiis Chinardi nihil post annum MCCLXXII^m nobis relatum est, sed verisimile videbitur illos post paucos menses e carcere emissos esse, præsertim cum notum sit qua gratia apud Carolum illorum non patruus tantum, sed etiam sorores florerent. Chinardi enim filiæ cum duobus qui inter nobilissimos in Neapolitana aula habebantur milites, rege annuente, matrimonio conjunctæ sunt. In ipso anno MCCLXXII°, quo fratres in

1. Del Giudice, *Codice diplomatico*, I, p. 309, in nota; *Arch. stor Napol.*, IV, p. 346.

castrum Trani captivi deducti erant, Suavem, Chinardi filiam, duxit Hugo de Mesnilio Renardi [1], qui juveni Carolo, Salernitano principi, ad quem Siciliæ regni hereditas pertinebat, rector additus erat [2]; tempore autem incerto, Philippa, altera Chinardi filia, cum Roberto de Sancto Yvone primum nupsisset, secundis nuptiis Stephano de Chimillo conjuncta est, cui feuda Itiliani in Basilicata et Balvani in Principatu Carolus rex anno MCCLXXXI° concessit [3]. E libro de gentibus Orientis latini gallice scripto discimus proneptem quamdam Johannis Galvani, Philippi Chinardi, ut novimus, nepotis, Ermellinam nomine, in Apulia nupsisse [4]. Anno denique MCCXC°, et usque ad annum MCCXCIII^m nobis occurrit quidam Everardus Chinardus « de Sammiriaco » dictus, domini Angeriaci « de Summeroso » nepos [5], qui fuit Basilicatæ provinciæ justitiarius [6] et Acheruntiæ castellanus [7].

Sic gens illius Galli, e Cypro in Apuliam advecti, qui Corcyræ dominium tenuerat, cum aliis e Gallia deductis

1. Del Giudice, *Codice diplomatico*, I, p. 109, in nota.
2. P. Durrieu, *Les Archives angevines*, II, p. 348.
3. Reg. And. 1270 B, n° 8, p. 158 v° et 187 v°, apud Del Giudice, *Codice diplomatico*, I, p. 110, in nota. Philippa, cum jam anno MCCXCIII° vidua relicta esset (Reg. 1294 C, n° 66, f° 49), tunc inter feudatarios Terræ Hydrunti nominatur (Reg. 1308 E, f° 17).
4. *Les Lignages d'Outremer*, p. 224.
5. Reg. And. 1291 A, n° 55, f° 392.
6. Reg. And. 1291, n° 53, f° 101.
7. Reg. And. 1291 A, n° 54, f° 237. Everardus idem casalia Tafiniani et Banzæ in Basilicata (Reg. And. 1274 B, n° 21, f° 123 v°) nec non feudum aliquod in Terra Hydrunti tenuit (e Reg° And¹. 1308 E, f° 271 : quem codicem, nunc amissum, in Repertorio a Sicola conscripto excerptum invenire contigit). Notanda quoque videntur duarum nobilium mulierum nomina, scilicet Margaritæ de Cypro, quæ Johanni Marascotti militi nupserat (Reg. 1268 O, f° 88 v°), atque Agnetis de Cephalonia, « relictæ quondam Gualterii de Noheriis » (Reg 1308-1309 C, n° 178, f° 147).

gentibus in Italia conjuncta est, atque in media nobilium virorum turba qui, Carolo duce, aliam Gallorum coloniam in regnum Siciliæ intulerant, est commixta.

Idem eis contigit, qui, Alamannorum gente orti, cum Philippo Chinardo in Corcyram convenerant. Cum enim Garnerius Alemannus, qui insulæ capitaneus a rege præpositus esset, ineunte anno MCCLXXII° extremum diem obiisset, ab Aymo, ejus filio, castra quæ hereditaria tenebat Carolus redimere procuravit, pro quibus juveni cum tria millia unciarum auri, tum terras, quas ipse in Terra Bari, Capitanata et Terra Hydrunti delegeret, obtulit [1]. Quare anno MCCLXXVII° nominatum invenias Aymum inter *Gallos* qui in Terra Hydrunti feuda haberent [2]. Cum e Syria in Corcyram et inde in Apuliam vectus esset, Garnerii filius cognatos in regno Caroli Andegavensis inveniebat, Petrum quemdam Alemannum, Henricum Alemannum, Thibaldum Alemannum, ut ea gentis pars, quæ in terram transmarinam sedem quondam transtulerat, in Italia Inferiore cum alia ejusdem gentis parte, quæ e Provincia, Alpibus superatis, devecta erat, rursus esset conjuncta [3].

1. MINIERI-RICCIO, *Saggio di Codice diplomatico*, p. 55 et 60. Cf. *Arch. stor. Napol.*, v, p. 88.

2. Reg. And. 1269 B, n° 2, f° 68 v°. Litteris in margine registri titulus additur : « Registratum eidem Justitiario (Terræ Hydrunti) de significatione nominum baronum *Gallicorum* quibus mandatum factum est. »

3. Cum duabus illis Gallicis gentibus, quibus nomina Chinardus et Alemannus erant, inveniri licet gentem aliam, Italia ortam, quæ, cum in Orientis Latini partes, primis, ut videtur, sæculi XIII[i] annis, transvecta esset, in Italiam, regnante Carolo Andegavensi, rursus deducta sit. Miles enim, Guillelmus de Amendolea dictus, qui e Calabria profectus erat, ut adversus Saracenos pugnaret (*L'Estoire d'Eracles Empereur*, p. 202), in Syria cum Agnete de Courtenay, Jocelini, Edessæ comitis, filia matrimonio conjunctus est, ibique in Galli-

At Galli, quorum patres a transmarinis terris ad Apuliam vel Epirum devecti partem in rebus Siciliæ regni haud parvam sustinuerant, ubi cum Gallis qui Carolum Andegavensem secuti erant, commixti sunt, privatam et obscuram vitam agere videntur. Quin notandum est, si quis acta publica, in quibus nominantur Philippi Chinardi fratres et Garnerii Alemanni filii, diligentius scrutetur, quod novus Siciliæ rex omnes quos primos Adriatici maris in littore orientali legatos ipse suos creaverat, ab Epiri et Albaniæ partibus quam citissime amovit, ut in eorum locum qui, Manfrido regnante, Philippi Chinardi fortunam secuti essent viros quosdam novos, quibus confideret, supponere posset. Ita, cum, mortuo Garnerio Alemanno, ab ejus filio castra cuncta quæ in Corcyra essent magno pretio redemisset, Carolus novum in insulam statim misit vicarium, Jordanum de Sancto Felice[1]. Ita quoque, in locum Gazonis Chinardi, qui anno MCCLXXII°, mense Martio, vicarius generalis

cum sermonem « Guillaume de la Mandelée » nomen suum vertit (Du Cange, *Les Familles d'Outremer)*. Illius autem nepos, cui etiam Guillelmus nomen erat, feuda quædam in Sicilia et Calabria, anno MCCLXXX° tenuisse fertur (Ammirato, *Le famiglie nobili Napoletane*, 1651, II, p. 262), cujus filius Jocelinus sedem suam in terram Calabriæ Amendolaram dictam rettulit (*Les Lignages d'Outremer*, cap. XVI, p. 464; *Les Familles d'Outremer*, p. 303). Jocelini autem fratres ambo, Petrus et Guido, Ordinem Theutonicum secuti sunt, quo conjunctissime semper usa erat gens de Amendolea (Cf. G. Rey, *Recherches hist. et géog. sur les Colonies franques de Syrie*, p. 40-41, 48-50). Inter quos Guido de Amendolea thesaurarii Ordinis in urbe Barolo officio functus est (Ammirato, *loc. cit.)*. At Neapolitanarum rerum scriptoribus qui de illa gente de Amendolea ut de antiqua quadam, Calabria orta, quæ jam in actis Caroli primi Andegavensis nominata esset, scripserunt, non in suspicionem venire poterat eamdem diu ab Italia magno maris spatio semotam esse et, cum in actis publicis regni Siciliæ rursus occurreret, jam quinquaginta annos regni Hierosolymitani rebus interfuisse.

1. *Arch, stor. Napol.*, v. p. 80. Jordanus ille eodem titulo anno MCCLXXVIII° insignitus adhuc fertur (Minieri-Riccio, *Saggio di Codice diplomatico*, I, p. 175.)

regni in Albaniæ partibus officium obtinuerat, anno MCCLXXIII°, mense Maio, mittitur Anselmus de Caen. Gazoni vero, qui feudorum, quæ in Terra Bari Philippi Chinardi gens habuerat, mediocrem partem solus in Terra Bari retinuerat, et ab ipso Carolo rege terris Terlitii et Lusiti anno MCCLXXIX° donatus erat[1], vice quadam anno MCCLXXXII° officium confertur « Capitanei galearum, teridarum et vaccettarum Curiæ in Apulia et Aprutio »[2], quod ipse, anno MCCLXXXIII°, annuente

1. Reg. And. 1269 A, n° 3, f° 63 v°. Anno MCCLXXIII° (Reg. And. 1272 X, n° 17, f° 20) cetera, quæ Philippi Chinardi gentis in Apulia fuerant, ad novos dominos jam tradita erant, cum, post « Gazum » Chinardum, inter feudatarios Terræ Bari, in litteris regiis nominati occurrant dominus quidam Turri, « Guglielmus de Saccavilla, dominus Aquevive, Guglielmus de Asseriis, dominus Casemassime, Guglielmus de Sectariis, dominus Valenzani, Robertus de Altricio, dominus Nohe, Guido de Amellis, dominus Rutiliani et sancti Nicandri, Ada Moriex, dominus Cupersani (de quo Cf. Reg. And. 1269 B, n° 4, f° 11 v°), Johannes de Clariaco, dominus Johe, Pali, Arricharii, Petrus de Hugot, dominus Binetti » (Ante diem XI^m kal. Maias, in Reg. And. 1291 A, n° 54, f° 113 v°). Anno eodem MCCLXXXIII° vectigalis exactio in justitiariatu Terræ Bari a rege committitur Archiepiscopo Barensi, domino Jacopo Filimarino et domino Gazo Chinardo (Reg. And. n° 48, f° 39 v°).

2. « Comisio Gazi Chinardi capitanei galearum. — Scriptum est Gazo Ginardo dilecto militi, etc. In puritate vere dilectionis et fidei circa ea que honoris nostri exhaltationem respiciunt scientes te virum experte probitatis et industrie radicatum, devocionem tuam tanto confidencius negociis et serviciis nostris ingerimus quanto re vera frequencius illam sensibus nostris et preteritarum memoria et presencium evidencia graciosis obsequiorum effectibus commendabilem representant. Et ideo ex tuorum precedentium actuum experientia plenam asumentes fiduciam de futuris te capitaneum omnium gaiearum, teridarum et vaccettarum nostrarum ubicumque per partes Apulie et Aprucii de mandato nostre celsitudinis armandarum ammoto inde quolibet alio usque ad nostrum beneplacitum duximus statuendum. Fidelitati tue sub obtentu gratie nostre firmiter et expresse mandantes quatenus officium dicte capitanie totis tuis viribus exequendum, assumens illud ad honorem et fidelitatem nostram, diligenter studeas exercere iuxta mandatorum nostrorum continentiam que tibi de cetero super causis et negociis emergentibus dirigentur. Nos enim prelatis ecclesiarum, comitibus, baronibus, institiariis et universitatibus per predictas partes Apulie et Aprucii constitutis fidelibus nostris per patentes licteras nostras iniungimus ut de omnibus que

Carolo II° rege, reliquit [1]. Anno vero MCCCV° illum mortuum esse novimus [2]. Guilelmus autem Chinardus, Gazonis et Philippi frater, anno jam MCCLXXXIV° vita defunctus erat [3].

Ut autem clarius pateat quam strictis necessitudinibus Italiæ Inferioris partes cum Orientis Latini regionibus conjunctæ essent, tempore ipso quo Galli illi, qui e Syria in Apuliam venerant, de medio discedere viden-

ad officium dicte capitanie spectare noscuntur tibi ad honorem nostrum devote pareant et intendant, ita quod ad requisitionem tuam in exercendo predicto officio oportunum prestent auxilium et favorem. Datum Regii XVI° octubrii XI° inditionis. » (Reg. And. n° 39, 1280 B, f° 37 v°).

1. « Quod desistat ab officio. — Scriptum est nobili viro domino Gazoni Chinardo dilecto militi familiari consiliario et devoto suo, etc. Cum vobis ammoto ad supplicacionem vestram ab officio capitanie vassellorum curie Apulie et Aprucie quod dudum in partibus quas de mandato domini patris nostri gessistis nobiles viros dominos Guillelmum de Alamannone et Henricum de Girardo milites consiliarios fideles nostros dilectos vobis in eodem officio duximus subrogandos, devotioni vestre precipimus quatenus ab exercendo dicto officio de cetero desistentes residua omnia restancia penes vos de rebus curie pro reparacione et municione dictorum vassellorum anno primo preterito per vos emptis vel undecumque receptis eisdem successoribus vestris pro parte curie assignetis per eos in reparacione et municione dictorum vassellorum sibi per nos commissa utiliter et necessario convertenda, recepturus inde ab eis ad vestri cautelam ydoneam apodixam, vos autem predictis residuis eisdem vestris successoribus assignatis procuratorem vestrum sufficienter instructum cum quaternis, mandatis, apodixis et omnibus racionibus vestris eiusdem officii ad nostram curiam transmictatis positurum coram magistris rationalibus, etc., finalem et debitam de ipso officio racionem, ac satisfacturum de omnibus in quibus per rationem ipsam apparebitis curie debitores, significaturi nobis et predictis magistris rationalibus, etc., quantitatem et qualitatem predictorum omnium residuorum que dictis successoribus vestris pro parte curie autoritate presentium duxeritis assignanda. Datum Nicotera per Sparanum de Baro, etc., die XXVII° septembris XII° indictionis. » (Reg. And. n° 49, 1284 C. f° 272 v°).

2. Hoc anno litteras regias mense Septembri editas invenimus, de lite quadam adversus Agnetem de Cephalonia ab Isabella de Montegniato, relicta *quondam* Gazi Chinardi militis, suscepta (Reg. And. n° 147, 1307 B, f° 143). Eodem anno inter feudatarios Terræ Bari nominatur « heres quondam Gassi Chinardi militis » (Reg. And. n° 142, 1304-1305 E, f° 155 v°).

3. *Cod. diplom. Barese,* II, p. 77.

tur, Gallos quosdam alios a partibus transmarinis ad Italiæ littora advectos in medium succedere videas. Etenim Anselmo de Caen, qui post Gazonem Chinardum vicarius in Albania exstiterat, anno jam MCCLXXIV° successit miles quidam Gallica stirpe natus, qui Constantinopolim modo reliquerat.

Ex illis qui Balduino, cum capta Constantinopoli in fugam se præcipitasset, comitati erant, nonnulli in insula Eubœa et in ceteris principatus a Goffrido de Villehardouin occupati partibus, feuda quædam pro suis amissis jam invenerant [1]. Alii autem imperatorem imperio suo orbatum in Italiam et in Galliam secuti erant. Inter milites qui, post fœdus apud Viterbum ictum, officia quædam apud Carolum Andegavensem obierant, tres invenias, Ansaldo illo de Tucziaco ortos, qui infidus cum Græcis quondam egisse dicebatur, ut urbem Constantinopolim illis traderet, atque dein, cum in aulam Goffridi de Villehardouin sedem transtulisset, una cum principe in pugna apud Agridim captus erat [2]. Tres illi, scilicet Philippus de Tucziaco et ejus filii in publicis regni Siciliæ litteris regis consobrinorum titulo designantur [3]. Pater anno MCCLXXI° ammiratus regni, filius minor Oddo regius consiliarius et magister justitiarius creati sunt, qui nunquam Siciliæ regnum reliquerunt. Rebus autem a Philippi filio majore gestis in memoriam revocantur res ab illis gestæ qui, cum ex Orientis partibus ad Italica littora se contulissent, denuo ad Orientem mirabili quadam fortuna devecti sunt. Constantinopoli natus,

1. BUCHON, *Recherches*, I, p. 28, n. 2; *Chronique de Morée*, p. 31
2. BUCHON, *Recherches*, I, p. 168.
3. DU CANGE, *Les Familles d'Outremer*, p. 487.

cum Balduino imperatore in Siciliæ regnum advectus, feudo Latertiæ in Terra Hydrunti donatus, capitaneus generalis in partibus Albaniæ, vicarius deinde generalis in principatu Achaiæ et Moreæ creatus[1], denique, cum Luciæ, Bohemundi VII^{i}, principis Antiocheni, sorori nupsisset, comitatus Tripolitani hæres factus, quo ne ipse potiretur Saracenorum victoriis impeditus est[2], Narjonus de Tucziaco, fato quodam pulsus, Philippi Chinardi, regnante Carolo Andegavense, vices iterum videtur peregisse.

1. P. Durrieu, *Les Archives angevines.* (Bibl. des Ecoles d'Athènes et de Rome, fasc. LI), II, p. 390.


2. *Les Familles d'Outremer*, p. 487-488.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. II Id. Jul. ann. MDCCCCI.
Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi
Decanus,

A. CROISET.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.



TERRA BARI

Urbes et vici, quæ, regnante Friderico Augusto, Cyprensium militum fuerunt.
Urbes et *vici*, in quibus, eodem tempore, Ordines militares et hospitales Terræ sanctæ sedem habuerunt.